



CAVANILLI  
MONADE

P

A  
47  
39



A-III-11.



16  
7-0

BIBLIOTECA HOSPITAL REA  
GRANADA

Sala: \_\_\_\_\_  
Estante: A  
Número: 39


7 400 410

**Gafsa**

MADE IN SPAIN

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25

et-III-11.




16  
7-10

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	47
Número:	39

*Don Antonio*

DISSERTATION  
M.DCCC.



SEXTA  
DISSERTATIO  
BOTANICA.



SEXTA  
DISTRIBUTIO  
BOTANICA.

3

S E X T A  
D I S S E R T A T I O  
B O T A N I C A .

De Camellia, Gordonia, Morisonia, Gossypio, Waltheria,  
Melochia, Mahernia, Hermannia, Urena, Halesia,  
Styrace, Galaxia, Ferraria, et Sisyrinchio.

Accedit Mantissa tertia.

41 Tabulis ære incisus ornata.

AUCTORE ANTONIO JOSEPHO CAVANILLES HISPANO-VALENTINO.



P A R I S I I S ,

A P U D F R A N C I S C U M A M B . D I D O T .

M . D C C . L X X X V I I I .

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ.

SEXTA  
D I S S E R T A T I O  
B O T A N I C A.

De Camelia, Gordonia, Malva, Gossypio, Wilbernia,  
Malochia, Mahonia, Hennamnia, Utoria, Halasia,  
Syrace, Calaria, Ferraria, et Sisyranthia.

Tabulis aere incisae ornatae.  
AUCTORE ANTONIO JOSEPHO CAVALIERE TURICENSIS ACADEMIAE  
ARTIS MUSEO.



PARISIIS  
APUD FR. ANCIENUM LIBRARIUM  
M. DCC. LXXXVIII.  
CONSTITUTIONE ET PRIVILEGIO REGIS SUBSTITUTAM ACADEMIAE

---

S E X T A

DISSERTATIO BOTANICA.

*De Camellia, Gordonia, Morisonia, Gossypio, Waltheria, Melochia, Mahernia, Hermannia, Urena, Halesia, Styrace, Galaxia, Ferraria, et Sisyrinchio.*

---

P A R S X X X I I I.

D E C A M E L L I A. *Lin.* 914.

C H A R A C T E R G E N E R I C U S C A M E L L I Æ.

Calyx polyphyllus deciduus, foliolis 5-7 concavis, ovatis, imbricatis, exterioribus brevioribus.

Corolla campanulato-patens: petala 5-7 obovata basi coalita.

Stamina: urceolus brevis innumeris filamentis terminatus corolla brevioribus: antheræ ovatæ.

Germen superum ovato-acuminatum: stylus filiformis staminibus longior: stigmata tria aut quatuor.

Fructus: capsula ovato-conica sulcata trilocularis: nuclei tot quot loculamenta, *subrotundi, seminibus minoribus sæpe repleti.* Addit Linnæus.

S P E C I E S.

439. CAMELLIA JAPONICA. *Linn.* (Tab. CLX. f. 1.)

C. Foliis ovatis utrinque acuminatis, serraturis minimis.

C. Foliis acute serratis acuminatis. *Thunberg. Flor. Jap. p. 272.*

C. Japonica. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 368.*

Tsubakki montanus vel sylvestris flore roseo simplici. *Kæmpf. Amœnit. fascic.*

*V. p. 850. t. 851. perfectissima.*

β. Tsubakki hortensis flore pleno maximo rosæ hortensis. *Idem loc. cit. p. 852.*

Camelli du Japon. *Lamarck, Dict. encycl. tom. 1. p. 572.*

Thea Chinensis pimentæ Jamaicensis folio, flore roseo. *Petiv. Gaz. tom. 33.*

*fig. 4.*

Caulis in loco natali arboreus (dicente Thunbergio *vasta et alta est arbor*): hic in Europa fruticosus, quatuor et amplius pedes altus, ramis teretibus glabris,

in quorum summitatibus gemmæ prodeunt conicæ, oblongæ, imbricatæ.  
Folia alterna ovata utrimque acuminata, serrata serraturis minimis, glaberrima,  
nitida, coriacea, a petiolis crassis brevibus dependentia sæpeque recurva,  
nervus longitudinalis utrimque protuberans. Stipulæ nullæ.

Flores solitarii sessiles terminales.

Foliorum calycis limbus sæpe scariosus.

Corolla coccinea pulcherrima, petalis 5-6-7 carinato-concavis.

Staminum urceolus crassus brevis: filamenta alba in quatuor phalanges aut cir-  
culos concentricos disposita, quorum interna libera, reliqua coalita: antheræ  
flavæ.

Stigmata tria, aliquando quatuor. Cl. Lin. et post eum D. de Lamarck simplex  
dixerunt.

Fructum non vidi nisi inchoatum, eratque capsula ovato-conica trisulca trilocu-  
laris.

*Habitat passim in sylvis et hortis Japonicis. H. V. floridam apud D. Cels mense  
maio.*

Obs. *Capsularum loculamenta stigmatum numero respondent.*

Explic. fig. a Gemmæ. b Flos integer. c Capitulum. d Calyx in cuius fundo est  
germen. f Flos sectus. g Filamentorum pars a germine magis distans. h Pha-  
langium sectio.

440. CAMELLIA SASANQUA. *Thumb. (Tab. CLX. f. 2.)*

C. Foliis obtuse serratis emarginatis. *Thmberg. Flora Japonica pag. 273.  
fig. 30.*

Arbor mediocris, cujus rami teretes cinerei patentes, ramulis instructi laxis  
villosis rufescentibus.

Folia alterna pollicaria, subdisticha, erecta, ovata, obtusa, obsolete serrata,  
supra saturate viridia nitida, subtus pallidiora, costa crassa: petioli adpressi  
dimidiam lineam longi.

Flores terminales sessiles, solitarii speciosi albi.

Calycis foliola quinque, raro sex, nitida.

Corollæ petala fere semper quinque nivea, sub apice carinata emarginata,  
concava.

Antheræ flavæ striatæ.

Germen squamosum: stylus filiformis staminibus longior: stigmata tria filifor-  
mia obtusa virescentia.

Fructus: capsula ovato-conica obsolete triangularis, obtusa dense villosa.

*Habitat prope Nagasaki in Japonia. H.*

Obs. I. *Stamina interdum connata in plures phalanges videntur.*

II. *Folia ad umbram siccata odorem suavem servant, ideoque decoctum eorum  
feminis in usu est pro lavacro capillorum: etiam theæ adduntur pro concilianda  
odoris gratia.*

III. *Adeo similis est theæ ut nihil fere nisi stamina connata distinguat, licet hæc  
nota vix sufficere videatur, quum stamina infima basi tantum connata, et  
quandoque distincta appareant.*

IV. *Planta mihi ignota: quæ præcedunt desumpsi ex Thumbergii opere laudato.*

V. Kämpfer, *Amœnit. exot. fascic. V* p. 853, de *Camellia* loquitur his verbis :  
*Species pumila flore rubro simplici ut plurimum pentapetalo , disco seu umbilico stamineo , fructu tripyreno , pyriforme , nucis pistacææ magnitudinis , nucleis tribus albis rotundissimis.*

## P A R S X X X I V.

D E G O R D O N I A. *Lin.* 913.

## C H A R A C T E R G E N E R I C U S G O R D O N I A E.

Calyx duplex : exterior 4-phyllus , foliolis oblongis deciduis : interior 5-phyllus , foliolis concavis rotundatis persistentibus.

Corollæ petala quinque inverse ovata , concava , basi unita ( an melius corolla monopetala profunde quinquepartita ? )

Stamina : filamenta numerosa parva basi unita in corpus crassum germen cingens : antheræ erectæ didymæ.

Germen ovato-acuminatum : stylus brevissimus : stigmata quinque lanceolato-acuta , excavata , radiatim posita.

Fructus : capsula sublignosa ovata cum acumine , quinque-locularis quinque valvis. Valvulæ , crassæ subtriquetræ , intus acutæ , extus obtusæ.

Semina quatuor inter singulas valvulas nigra , subreni-formia , parte superiori alata.

Obs. I. *Seminum figura ut in Pentapete et Swietenia ; loculamenta et valvulæ ut in Stewartia , cui valde affine est hoc genus.*

II. *Species hucusque cognitæ sunt frutices Carolinæ atque Virginie incolæ : Parisiis haud facile frigus sustinent.*

441. GORDONIA LASSIANTHUS *Lin.* ( Tab. CLXI. )

G. Foliis lanceolatis subserratis , utrinque glabris et viridibus : pedunculis axillaribus longis unifloris. *Lamarck , Dict. encyc. vol. 2. pag. 770.*

*Gordonia. Ellis. Act. angl. anni 1770. vol. 60. pag. 518. t. 11. Linn. Sp. pl. vol. 3. p. 368.*

*Alcea floridana* quinque capsularis laurinis foliis leviter crenatis , seminibus coniferarum instar alatis. *Pluck. Amalth. 7. tab. 352. f. 3. Catesbi Carol. 1. p. 44. tab. 44. Aman. Act. 7. t. 353. f. 3.*

*Hypericum* foliis lanceolatis rigidis , denticulatis ; floribus alaribus , pedunculis longissimis ; capsulis lignosis. *Mill. dict.*

*Hypericum ( lasianthus )* floribus pentagynis , foliis lanceolatis serratis. *Hort. Cliff. 380. Spec. edit. 3. p. 1101.*

Arbor erecta semper viridis , ramis in pyramidem erectis.

Folia alterna lanceolato-ovata utrinque acuminata, basi angustiora atque in petiolum desinentia, argute serrata, glaberrima, lucida. Stipulae nullae.

Flores axillares solitarii pedunculis longitudine fere foliorum.

Calycis exterioris foliola oblonga concava, apice rotundata, quorum tria sub calyce interiore, quarta paulo infra. Interioris laciniae tomentosae ut in Hugonia dispositae.

Corolla alba.

Staminum urceolus crassus: filamenta sesquilinearum.

Capsula vix nucem avellanæ æquat.

*Habitat in Carolina. H. V. V. apud D. Cels, qui et fructum siccum communicavit.*

Explic. fig. *a* Flos integer. *b* Capitulum. *c* Calyx interior. *d* Corolla in qua observatur petalorum coalitio. *e* Ejusdem pars intus spectata cum staminibus. *f* Germen. *g* Stigmata aucta. *h* Stamen paulo auctum. *i* Fructus magnit. nat. *k. k.* Semina.

442. GORDONIA PUBESCENS. *Lamarck.* (Tab. CLXII.)

G. Foliis lanceolatis subserratis, superne viridibus, lucidis, subtus pubescentibus: floribus sessilibus. *Lamarck. Dict. vol. 2. p. 770,*

Caulis arboreus ramosus ramis subpubescentibus.

Folia ut in precedenti, verumtamen pagina inferiore sunt mollissime tomentosa.

Flores axillares, solitarii, versus ramorum summitates sessiles.

Calycis exterioris foliola subovata, apice acuminata, tomentosa (tria dumtaxat vidi.) Interioris foliola tomentosa.

Petala alba concava.

Antherae luteae.

*Habitat cum precedenti. H. V. S. apud D. Cels.*

## P A R S X X X V.

### D. E M O R I S O N I A. *Lin. 916.*

#### C H A R A C T E R G E N E R I C U S M O R I S O N I A E.

Calyx monophyllus obovatus bifidus, laciniis concavis reflexis inæqualibus, marcescens.

Corolla: petala quatuor ovato-oblonga.

Stamina: filamenta subviginti subulata, erecta, corolla breviora, inferne ad medietatem usque connata in corpus infundibuliforme: antherae oblongae erectae.

Germen ovatum stipitatum : stylus nullus : stigma capitatum plano-convexum puncto umbilicatum.

Fructus : bacca globosa cortice duro scabro, unilocularis pedicellata.

Semina plurima reniformia nidulantia

Obs. *Nec flores nec fructum vidi hujus planta : characteres et iconem ex Plumierio et Jacquino desumpsi.*

443. MORISONIA AMERICANA. *Lin.* (Tab. CLXIII.)

M. Foliis alternis ovatis glabris : floribus congestis subumbellatis.

M. Arbor nucis juglandis folia. *Plum. Gen. p. 36. t. 23. mss. 6. ic. 263. Surian. herb. n<sup>o</sup>. 845.*

Morisonia. *Jacq. Amer. 156. t. 97.*

Bois Mabouia. *Apud incolas Gallos.*

Arbor inelegans pyri vulgaris altitudinis.

Folia ovata, quandoque oblonga, integra, nitida, coriacea, alterna, uninervia, desuper saturate viridia, subtus dilute virentia, 3-12 pollices longa; petiolis utrimque incrassatis longiora.

Stipulas nullas vidi in exemplaribus siccis.

Flores in ramis senioribus et iunioribus inter folia congesti : pedunculus communis crassus pollicaris, partiales quatuor et amplius.

Calyx viridis.

Corolla sordide albicans vel pallens petalis apice revolutis.

Filamenta candida : antheræ luteæ.

Germen notulis rubris variegatus.

Bacca pomi magnitudinis : cortex durus notatus punctis ferrugineis : caro mollis albicans.

*Habitat in America calidiori, Carthagera Martinica, &c. H.*

Explic. fig. *A* Umbella florida, *B*. Flos. *C* Calyx cum genitalibus. *D* Fructus.

*E* Semen.

## P A R S X X X V I.

### D E G O S S Y P I O. *Lin.* 910.

#### CHARACTER GENERICUS GOSSYPIL.

Calyx duplex: exterior monophyllus profunde partitus in tria foliola sapissime laciniata: interior multo minor monophyllus cyatiformis obtuse quinquefariam emarginatus.

Corolla : petala quinque basi coalita, magna rotundata convolutopotentia.

Stamina : tubus germen cingens stylum vaginans, corolla brevior, filamentis brevibus onustus : antheræ reniformes.



Germen globoso-acuminatum : stylus simplex, apice clavatus, sulcatus : stigmata  
tot quot sulci sæpe coalita 3. 4.  
Fructus capsula ovato-acuminata, sulcis 3-4 notata, calyce interiori basi cincta,  
3-4 locularis, 3-4 valvis.  
Semina 3-8 in unoquoque loculamento, ovato-acuminata, lana involuta.

Obs. *Gossypia* genus constituunt valde naturale, et ut in generibus naturalibus  
evenit, species vix differentias accipiunt : ad hæc seminum lana, utpote textori-  
æ arti utilissima, homines impulit ut *Gossypii* species per universum orbem  
inquirerent, repertas adspertarent in patriam, alias aliis adproximarent, at-  
que indigenas quodammodo redderent, quæ sponte crescebant in calidioribus regio-  
nibus ; unde morum immo et habitus differentia prodire : quæ omnia si cultori-  
bus, si arti sunt utilia, botanicis difficultatem pariunt ad statuendos specierum  
characteres, qui antiquorum auctorum notis respondeant.

## S P E C I E S.

444. *Gossypium herbaceum*. Lamarck. (Tab. CLXIV. f. 2.)  
G. Foliis quinquelobis, subtus uniglandulosus, lobis rotundatis mucronatis,  
calyce exteriori serrato. Lamarck. *Dict.* vol. 2. p. 133.  
Xylon, vel *Gossypium herbaceum*. *J. Bauh.* 1. p. 343, *Tournef.* 101.  
*Gossypium frutescens* semine albo. *Bauh. pin.* 430. *Cam. epit.* 203. *Lob. icon.*  
650. *Dodon. pempt.* 66.  
G. Foliis quinque lobis, subtus eglandulosus caule herbaceo lævi? *Linn. Sp. pl.*  
tom. 3. p. 355.  
Goss. alepicum. *R. H. P.*  
Caulis teres erecto-procumbens ramosus tripedalis, tener subtomentoso-hispi-  
dus, ut et petioli et pedunculi ; senior rubescens, punctis fuscis variegatus.  
Folia alterna orbiculata subcordata quinquelobata, lobis rotundatis cum acu-  
mine : petioli sæpe folio longiores. Stipulæ lanceolatae.  
Flores oppositifolii aut laterales, solitarii pedunculis incrassatis.  
Calycis exterioris foliola basi coalita, suntque laciniata : interior viridis punctis  
nigris variegatus.  
Corollæ petala flava orbiculata subcrenata, unguibus purpureo-maculatis.  
Staminum tubus crassus, corolla multo brevior : filamenta alba, antheræ luteæ.  
Germen ovatum : stylus simplex apice 3-4 sulcatus : stigmata 3-4 coadunata.  
Capsula 3-4 locularis : semina circiter quinque cinerea in singulis loculamen-  
tis, ovata, supra cuspidem setacea nigra terminata, atque undique involuta lana  
candidissima.  
*Habitat in Oriente, Senegal, Alep.* ♂. *Habui floridum a mense junio usque ad*  
*septembrem ; fructus maturat.*  
Obs. I. *Plantam descripsi Tournefortio et aliis antiquioribus notam : Linnaeus*  
*aut aliam descripsit hoc nomine, aut typographi vitio legitur in opere citato*  
*eglandulosus pro uniglandulosus.*  
II. *Hæc species à reliquis distinguitur lobis quinque rotundatis cum acumine.*  
Explicatio fig. c Capsula. d Semen. e Folium mag. nat.

445. *Gossypium micranthum*. (Tab. CXCIII.)

G. Foliis quinque lobis uniglandulosis glaberrimis : calyce superante corollam. Tota planta glaberrima, nec tamen lævis : caulis enim petioli atque pedunculi sunt punctis nigris exasperati.

Caulis erectus sesquipedalis ramosus rubescens.

Folia uniglandulosa alterna, petiolis subæqualia, quinquelobata, lobis orbiculato-acuminatis. Stipulæ lanceolatae.

Flores solitarii, oppositi folii.

Calyx exterior profunde tripartitus, segmentis cordatis striatis laciniatis, corolla longioribus : interior multo minor, quinquedentatus, viridis punctisque nigris variegatus; ad cuius basim et prope divisionem calycis exterioris exstant glandulae tres albicantes.

Corolla lutea, petalis ovato acutis, extus subpubescentibus, unguibus interne purpureis.

Staminum tubus corolla brevior : filamenta brevissima : antheræ luteo-rubentes.

Germen globosum : stylus simplex : stigmata quatuor virentia.

*Habitat in Hispania. V. floridum in R. H. P. ultimo augusto.*

446. *Gossypium arboreum*. Linn. (Tab. CLXV.)

G. Foliis palmatis lobis lanceolatis (*setula brevi terminatis addo Cav.*) caule fruticoso. Linn. *Sp. pl. vol. 3. p. 356.* Lamar. *Dict. tom. 2. p. 134.*

Xylon arboreum. J. B. I. p. 346. Tournef. 101.

Goss. arboreum gotnem segiar. Alp. *Æg.* 38.

Cudupariti. *Rheed. Mal. 1. p. 55. t. 31.*

G. Herbaceum, vel Xylon maderaspatense rubicundo flore pentapyllæum. *Pluk. Alm. 172. t. 188. f. 3.*

*An Gos. rubrum. Forsk. Ægyp. n.º. 88?*

Caulis fruticosus decempedalis, ramis villosis.

Folia alterna, petiolis villosis paulo longiora, palmata, lobis quinque lanceolatis apice mucronatis, atque in nervo præcipuo glandulosis : stipulæ lanceolatae angustæ.

Flores solitarii pedunculis brevibus.

Calyx exterior parvus foliolis cordato-ovatis integris, sæpius tamen dentatis : interior multo minor.

Corolla in sicco fusco-rubra, (an in vivis sulfurea?) petalorum unguibus macula fusca notatis.

Staminum tubus corolla dimidio brevior, filamentis brevissimis onustus : antheræ parvæ sulfureæ.

Germen ovatum : stylus tubo longior apice sulcatus : stigmata 3?

Fructus : capsula ovato-acuta parva avellanæ magnitudinis, trilocularis.

*Habitat in India Orientali. V. S. apud D. de Lamarck.*

Obs. *Loborum setula character est proprius hujus plantæ.*

447. *Gossypium vitifolium*. Lamar. (Tab. CLXVI.)

G. Foliis palmatis quinquelobis (*superioribus trilobis addo Cavan.*) acutis subtus

uniglandulosus; calyce exteriori profunde laciniato. *Lamarck Dict. vol. 2.*

*p. 135.*

G. Latifolium. *Rumph. Amb. 4. p. 37. t. 13.*

G. Arboreum. *Merian. Surin. t. 10.*

G. Frutescens annuum folio vitis ampliore quinquefido. *Pluck. Alm. 172. t. 188. f. 2?*

G. Glabrum. *Lamar. Dict. vol. 2. p. 135. n<sup>o</sup>. 8.*

G. Annuum foliis quinque lobis, superioribus trilobis subtus in nervo principali glandula ulcerosa notatis. *Commers. herb. et mss.*

Caulis diffusi decumbentes sæpe atropurpurascens glabri, punctisque nigris asperiusculis variegati.

Folia alterna, petiolis longis majora, palmata lobis acutis; quorum quinque in foliis inferioribus, tres in superioribus utrimque glabra, aliquando subfomentosa pagina inferiore: in nervo principali prope petiolum glandula notatur. Stipulae lanceolatae longae.

Flores solitarii magni laterales.

Calyx exterior magnus, cujus foliola subovata sesquipollicaria, sunt profunde laciniata: interior parvus, quinque-dentatus.

Corolla calyce major lutea: petalis striatis atque oblique convolutis; ad unguem maculatis, macula purpurea.

Staminum tubus corolla brevior.

Stylus apice laciniatus.

Capsula trilocularis: semina nigricantia ovata 6-10. in singulis loculamentis.

*Habitat in India Orientali. V. S. communicatum a D. Thouin.*

Observationes ex Commersonio. I. *Stigmata variant 3-4-5. atque capsula est 3-4 locularis.*

II. *Glandulae sub calycibus sex adsunt, tres scilicet sub calycis exterioris basi in insertione pedunculi hiulca; totidemque sub interiori calyce, qua nempe coalescunt calycis exterioris lacinae.*

*Differt haec species a G. Peruviano glandularum numero in foliis et calycibus, tum etiam loborum divaricatione.*

*Commersonius in herbario, loquens de planta, quam sistit Plukenetii figura supra laudata, dixit: Semina omnia in medio, tomento stipata, nudeque sibi ad invicem adpressa, quum in G. vulgari sint per tomentum sparsa eodemque seorsim involuta. Herb. Insulae Franciae apud D. de Jussieu.*

448. *Gossypium hirsutum. Lin. (Tab. CLXVII.)*

G. Foliis quinquelobis subtus uniglandulosus; ramis petiolisque pubescentibus. *Linn. Sp. pl. vol. 3. p. 356. Lamarck Dict. tom. 2. p. 134. qui addit: Calyce exteriori subintegro.*

Xylon americanum praestantissimum, semine virescente. *Tournef. 101.*

G. Frutescens pentaphyllos barbadense. *Plum. Alm. 172. t. 299. f. 1.*

Caulis teres, cortice cinereo-fusco, ramosus bipedalis (mihi) villosus ut et petioli.

Folia alterna petiolis subaequalia, palmato quinqueloba, lobis apice angustato-acuminatis, inaequalibus, medio longiore: glandula unica in nervo principali. Stipulae lanceolatae.

Flores solitarii oppositifolii pedunculis pollicaribus.

Calyx exterior profunde partitus in tria foliola pollicaria cordata, apice tridentata : interior brevis.

Corollæ luteæ.

*Habitat in regionibus calidioribus America. V. V.*

Obs. I. *Hæc planta potius herbacea et annua videtur quam frutescens : si in herbariis observatur, tunc caulis præsertim lignosus apparet.*

II. *Calycem semper vidi ut supra descripsi.*

449. *GOSYPIUM PERUVIANUM.* (Tab. CLXVIII.)

G. Foliis quinquelobis acutis triglandulosis : calycibus exterioribus triphyllis triglandulosis.

Caulis teres erectus glaber viridis, punctis nigris variegatus, tripedalis : quum veterascit, cortice tegitur subcinereo.

Folia alterna distantia magna cordata, petiolis paulo longiora, subtus tomentosa : inferiora integra lato-ovata acuminata : superiora quinqueloba, lobis acuminatis nonnihil canaliculatis ; glandulæ tres. Stipulæ lanceolato-falcatae marcescentes deciduæ.

Calyx exterior triphyllus magnus, foliolis cordato-auriculatis striatis, superne laciniatis : in singulorum insertionem glandula existit subglobosa melliflua, quæ fructu maturo cavitatem sistit : interior monophyllus multoties minor, obscure quinque crenatus, punctisque nigris variegatus : ambo persistentes.

Corolla lutea magna subvillosa, petalis rotundatis dente magno ad latus externum, et maculis rubris ad unguem.

Staminum tubus corolla brevior, albus, atque innumeris filamentis onustus : antheræ globulosæ luteæ.

Germen piriforme : stylus longitudine tubi : stigmata tria planiuscula oblonga.

Fructus : capsula ovato-acuminata trisulca trivalvis trilocularis : loculis polyspermis.

Semina obovata nigra, longa et candidissima lana obvoluta.

*Habitat in Peru. ♂. Habui floridum mense augusto : fructum dedit decembri.*

Exp. fig. quæ plantam sistit magnitudine naturali multo minorem ; verumtamen fructificationis systema magnitudinis est naturalis : a Flos integer. b Genitalia. F Fructus in quo c Calyx interior. ddd Valvulæ. ee Lana convoluta. E Eadem expansa seminibus inhærens.

450. *GOSYPIUM RELIGIOSUM.* Lin. (Tab. CLXIV. f. 1.)

G. Caule hispido : foliis trilobis et quinquelobis uniglandulosis stylo exerto.

G. Foliis trilobis acutis subtus uniglandulosis, ramulis nigropunctatis. *Lin. Sp. pl. tom. 3. p. 356.*

G. Tricuspidatum, foliis trilobis acutis subtus uniglandulosis, petiolis pedunculisque villosis, calyce exteriori profunde laciniato. *Lamarck Dict. tom. 2. pag. 135.*

Caulis tripedalis erectus sulcatus ramosus rubescens, pilis albis numerosis hirtus (quemadmodum et petioli.)

Folia alterna petiolis sæpe breviora, nonnulla inferiora præsertim ovato-acuminata, reliqua triloba, raro quinqueloba, lobis latis versus apicem acuminatis, uniglandulosa, subglabra. Stipulæ lanceolatæ, deciduæ.

Flores axillares solitarii, pedunculis petiolo brevioribus.

Corolla initio alba, deinde roseo-rubra, petalis integerrimis.

Calyx exterior profundissime tripartitus; foliolis cordatis villosis laciniatis: interior viridis punctisque nigris variegatus.

Staminum tubus corollæ brevior, innumeris filamentis onustus: antheræ luteæ reniformes.

Germen ovatum: stylus longus, ante expansionem capituli exertus: apice incrassatus sulcatus, punctisque minimis notatus: stigmata tria sæpe coalita.

Capsula ut in præcedenti.

*Habitat ad Caput Bone Spei. ♂. Habui floridum mense augusto. Colitur in R. H. P nomine coton blanc de Rome.*

Obs. I. *Hæc species a ceteris distinguitur stylo longo ante floris expansionem exerto, et corollis albis immaculatis quæ postea rubescunt.*

II. *Varietatem colui (quam sicut figura magnitudine naturali multoties minor) in qua calyx exterior non est profunde tripartitus.*

III. *In Regio Horto Parisiensi plantam vidi necdum floridam nomine Gossypii FLAVI SIAM, quæ facie ad hanc videtur reducenda; folia sunt ipsi omnino eadem ac Goss. religioso: verumtamen lana est flava, non alba ut in ceteris speciebus.*

Explic. fig. a Flos integer. b Calyx exterior.

451. *Gossypium indicum. Lamarck. (Tab. CLXIX.)*

G. Foliis subtrilobis, subtus eglandulosis, lobis cuneatis brevibus. *Lamarck Dict. tom. 2. p. 134. qui addit: fructu conico.*

*Gossypium capas. Rump. Amb. 4. p. 33. tab. 12.*

Caulis a tribus ad quindecim pedes altus pro locorum differentia, ramosus, ramis pubescentibus.

Folia alterna, petiolis subæqualia, 3-5 lobata, lobis subcuneatis acutis, nervis eglandulosis. Stipulæ lineari lanceolatæ.

Flores solitarii pedunculis incrassatis petiolo brevioribus.

Calycis exterioris lacinie profundæ aliquando integræ, sæpius apice tripartitæ.

Corolla lutescit, petalis emarginatis, quorum unguis ornantur macula purpurea.

Staminum tubus corolla brevior.

Stylus tubo longior.

Capsula ovato-acuminata trisulca, trilocularis.

*Habitat in India Orientali. V. S. apud D. de Lamarck.*

Obs. I. *Rumphius dixit capsulas aliquando esse quadriloculares.*

II. *Quæ Linnæus dixit de Gossypio herbaceo, huic speciei aliquo modo conveniunt. Verumtamen antiqui botanici, Tournefortius, ceterique non hanc, sed quam initio descripsit designarunt. Ad hæc planta floruit nuperrime in ditissimo horto regio Parisiensi, quæ aut multum fallor, aut eadem est cum Gossypio herbaceo Linnæi. Consulatur Mantissa.*

III. *Plantam habeo quam Commersonius reperit in Insula Francia, quamque debeo D. Thouinio, in qua nonnulla folia sunt subtus uniglandulosa, calyxque exterior laciniatus in reliquis convenit omnino cum hac nostra.*

452. GOSSYPIUM BARBADENSE. *Lin.*

G. Foliis trilobis integerrimis subtus triglandulosis. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 357*  
*Lamarck Dict. p. 134.*

G. Frutescens annuum folio trilobo, barbadense. *Pluk. Alm. 172. tab. 188*  
*fig. 1.*

*Habitat in insula Barbados. ♂. ♀. Planta mihi ignota.*

*Obs. Ultra supradescriptas species planta colitur in R. H. P. qua nondum floruit, diversa tamen ab omnibus. Caulis in ipsa est saturate ruber quemadmodum et petioli nervi venaque foliorum. Ille est glaber at punctulis fuscis exasperatus, quatuor pedes altus: folia alterna cordata quinqueloba, lobis lanceolatis, quinquenervia, nervis ramosis et in nervo præcipuo glandula sanguinea: sunt illa pagina superiori glabra atrovirentia, inferiori glauco-viridia, subtomentosa: stipulae lanceolatae, magna, rubra, marcescentes.*

## P A R S   X X X V I I .

### D E   W A L T H E R I A . *Lin. 892.*

#### C H A R A C T E R   G E N E R I C U S   W A L T H E R I Æ

Calyx duplex: exterior triphyllus deciduus, foliolis non in orbem sed ad alteram partem positus: interior turbinatus quinquefidus persistens, laciniis acutissimis.

Corolla pentapetala, petalis apice rotundatis, unguibus angustissimis, tubi staminiferi basi adfixis.

Stamina: tubus germen cingens apice quinquedentatus, denticulis antheriferis: anthera quinque ovata versatiles.

Germen ovatum villosum: stylus simplex: stigmata plura capillaria brevia.

Fructus semen unicum ovatum basi acutum intra pelliculam mollem bivalvem.

*Obs. I. Hoc genus ab omnibus monadelphis differt semine unico, stylo simplici, atque staminibus quinque tota longitudine connatis.*

*II. Flores sunt parvi semperque glomerati subsessiles; apparent quandoque pedunculati, sed pedunculus est vere ramus foliosus.*

*III. Folia sunt semper crassiuscula plicata tomentosa.*

*IV. Species omnes sunt exoticae atque delectantur in regionibus calidioribus utriusque Indie.*

## SPECIES.

453. WALTHERIA ARBORESCENS. (Tab CLXX. f. 1.)

W. Caule arborescente: foliis ovatis subcordatis serrato-dentatis crassis tomentosis.

Monosperm-althæa villosa folio majore. *Isnard Act. Paris. anni 1721. pag. 278. tom. 14.*

Malvinda ulmifolia flosculis pusillis mucosis. *Burm. Zel. 149. fig. 68.*

W. *Indica* Jacq.

W. *Americana*. Foliis ovalibus plicatis serrato-dentatis tomentosis, capitulis pedunculatis. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 301. Mill. Dict. n°. 1.*

W. *Indica*. Foliis ovatis serratis plicatis, capitulis sessilibus. *Lin. ubi supra n°. 3. Mill. Dict. n°. 2.*

Betonica arborescens floribus amplioribus. *Pluk. Alm. 67. t. 150. fig. 6.*

Althæa spicata betonica folio villosissimo? *Sloan. Jam. vol. 1. p. 218. tom. 138. fig. 1.*

Tota planta tomento molli et canescente est obsita.

Caulis arborescens (in caldario Paris. quatuor pedes altus) ramosus, ramis obliquo-erectis rubescentibus.

Folia ovata subcordata apice obtuso vel acuto, serrata, plicata, crassiuscula, petiolis triplo longiora. Stipulæ lanceolatæ deciduæ.

Flores glomerati axillares, aut teneros ramulos terminantes, cujus folia minima aut nondum exerta.

Calycis exterioris foliola parva concava ovato-acuta: interioris lacinia capillares valde pilosæ.

Corolla lutea calyce major patens.

Staminum tubus brevis, cuius interiori parieti adnata sunt filamenta quinque.

Germen turbinato-ovatum. Stylus apice incrassatus, ibique fimbriatus fibrillis capillaribus (numero mihi incerto.)

Fructus pellicula villosa. Semen ovatum basi acutum.

*Habitat in regionibus calidioribus utriusque Indiæ. V. S. communicatam à D. Jacquinò H.*

Explic. fig. a Calyces. b Interior auctus. c Exterioris foliolum. d Flos. e Petalum. f Genitalia aucta. g Fructus. h Semen inter duas valvulas.

Obs. I. In unum conjungo W. americanam et indicam Linnæi, quod et jam innuit Cl. Jacquinus in opere supra laudato, quoniam nullum exstat inter ipsas discrimen.

II. *Althæa americana pumilla, flore luteo spicato Breynii p. 124. f. 57. Quam Linnæus ad Waltheriam retulit est Malvæ species ad M. Polystachiam n°. 409. accedens: fructus enim est ipsi ex pluribus capsulis compositus in orbem positus. Consulatur Breynius.*

454. WALTHERIA ELLIPTICA. (Tab. CLXXI. f. 2.)

W. Caule fruticoso: foliis ellipticis oblongis serratis plicatis tomentosis.

Tota planta tomentosa.

Caulis teres ramosus.

Folia elliptica, lineari-oblonga, cujus longitudo latitudine tripla, serrata, plicata, crassa; petioli vix dimidiæ latitudinis foliorum. Stipulæ ut in præcedenti.

Flores glomerati axillares et terminales, parvi.

Calyx exterior ex tribus aliquando pluribus foliolis.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in India Orientali. V. S. communicatam à D. de Lamarck, ex collectis a D. Sonnerat.*

Obs. I. *Differt a præcedenti figura et magnitudine foliorum.*

II. *Ad hanc speciem referendum videtur exemplar quod ex Senegal adportavit D. Adanson, quodque vidi apud D. de Jussieu n<sup>o</sup>. 39. quamquam calycis exterioris foliola sint angustiora*

455. WALTHERIA MICROPHYLLA. (Tab. CLXX. f. 2.)

W. Foliis ovatis minimis serratis plicatis: floribus axillaribus glomeratis.

Betonica arborescens maderaspatana, villosis foliis profunde venosis. *Pluk.*

*Almag. 67. Phyt. tab. 150. fig. 5.*

Monosperm - althæa villosa folio minore. *Isnard. Act. Paris. anni 1721. pag. 278.*

W. *Angustifolia*, foliis lanceolatis serratis nudis? *Lin. ubi supra n<sup>o</sup>. 2.*

*Tota planta parce tomentosa.*

Caules teretes ramosi.

Folia ovata, vix quatuor linearum longitudinis, latitudine paulo minore, crassiuscula serrata, nervis inferne protuberantibus. Stipulæ breves subulatæ.

Flores axillares glomerati subsessiles.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in India Orientali. V. S. communicatam a D. de Lamarck ex collectis a D. Sonnerat*

Explic. fig. *m* Flos integer. *n* Calyx exterior. *o* Petalum. *p* Genitalia aucta. *q*. Semen.

456. WALTHERIA OVATA. (Tab. CLXXI. f. 1.)

W. Foliis lato-ovatis acuminatis serrato-dentatis tomentosis crassis, floribus racemosis congestis.

Aubentonia tomentosa, foliis cordatis, duplicato-serratis, alternis, petiolatis, stipulatis, utrimque tomentosis, floribus secundis congestis. *Dombey herb.*

*Tota planta valde tomentosa.*

Caulis fruticosus 3-4 pedalis ramosissimus, ramis horizontalibus.

Folia alterna-ovata acuta, serrato-dentata, nervis inferne protuberantibus: petioli crassi duarum linearum. Stipulæ lineari subulatæ deciduæ.

Flores veluti racemosi, racemis axillaribus foliosis.

Florum acerbi subsessiles, alterni sursum spectantes.



Calyx exterior subtriphyllus, foliolis ovatis acutis concavis: interior major pentagonus, utrimque acuminatus, apice quinque-dentatus.

Corolla lutea, petalis calyce paulo longioribus emarginatis.

Stamina: filamenta quinque corollæ longitudine, in urceolum basi coalita: antheræ subreniformes versatiles.

Germen ovatum tomentosum: stylus brevis; stigma incrassatum.

Fructus: pellicula tomentosa semen unicum tegens.

Habitat in Peru. *V. S. communicatam à D. Dombey.*

Obs. In herbario *D. de Jussieu* plantam vidi huic omnino similem: verumtamen in genitalium anatome vidi 1°. stamina quinque aliquando sex in tubum coalita, quorum filamenta brevia, corollaque triplo breviora; 2°. stylum exertum, capillarem, corolla longiorem; 3°. stigma globosum ex pluribus globulis minimis rufescentibus compositum. Hanc reperit in regno Peruano *D. Joseph de Jussieu*. Genitalia sistit littera X.

Explicatio fig. a Floris capitulum. b Calyx exterior. c Interior. d Idem expansus. e Corolla. f Petalum. g Stamina. h Germen. i Semen obductum pellicula. k Idem nudum.

## P A R S X X X V I I I.

### D E M E L O C H I A. *Lin.* 894.

#### C H A R A C T E R G E N E R I C U S M E L O C H I Æ.

Calyx simplex aut duplex persistens: exterior, si adest, triphyllus, foliolis longis, non in orbem sed ad alteram partem positus: interior monophyllus semiquinquefidus.

Corolla: petala quinque obcordata, patentia, quorum ungues angustissimi.

Stamina: filamenta quinque libera, basi in urceolum coalita, germen cingentem: antheræ quinque bilobæ subovatae.

Germen ovatum: styli quinque subulati erecti, quandoque persistentes: stigmata simplicia.

Fructus: capsula subrotunda aut quinqueangularis, quinquelocularis, quinquevalvis: valvulis dehiscendo sæpe cornutis; loculamentis mono aut dispermis. Semina subrotunda, altera extremitate nonnihil acuta.

Obs. I. Corolla in hoc genere est mediate staminifera; ex ejus enim fundo urceolum exsurgit, qui postmodum in filamenta partitur.

II. *M. Borbonica* fructus est quinquecapsularis.

III. Genus hoc, affine *Maherniæ* et *Hermaniæ*, distinguitur ab utroque filamentis capillaribus liberis, basi dumtaxat coalitis. Conferantur characteres.

IV. *Species omnes sunt exoticae, quae delectantur in regionibus calidioribus utriusque Indiae.*

S P E C I E S.

457. MELOCHIA PYRAMIDATA. *Lin.* (Tab. CLXXII. f. 1.)

M. Foliis ovato-lanceolatis serratis glabris : floribus umbellatis oppositifoliis.

M. *Dominicensis Jacq. hort. tab. 30.*

*Althæa brasiliana frutescens incarnato flore, fagopyri semine. Plum. Alm. 25. tab. 131. f. 3.*

M. Floribus umbellatis, capsulis pyramidatis pentagonis, angulis mucronatis, foliis nudis. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 304.*

*Tota planta glaberrima.*

Caulis teres ramosus ruber bipedalis et amplius.

Folia alterna, petiolis longiora ovato-acuta serrata, costis profundis parallelis, nonnihil canaliculata. Stipulae rubrae subulatae basi carnosae.

Flores umbellati : pedunculus communis oppositifolius, vix semiuncialis : parciales breves, subquinque ad basim involucrati stipulis duabus aut tribus.

Calyx monophyllus globoso-acuminatus, semiquinquefidus, laciniis acumine setoso rubro terminatis.

Corolla campanulato-patens violaceo-rubra, petalis quinque raro sex apice rotundatis.

Filamenta flava corolla breviora.

Germen viride : styli albicantes.

Fructus : capsula orbiculato-pentagona angulis compressis, quinquelocularis, quinquevalvis, valvulis biaristatis. Semina solitaria aut bina in unoquoque loculamento.

*Habitat passim in India orientali et Brasilia. V. V. floret julio et augusto. ℥. Colitur in R. H. P.*

Expl. fig. *a* Umbella florum. *b* Petalum. *c* Calyx sectus. *D* Stamina. *d* Eadem. *e* Antherae auctae. *f* Germen cum stylis. *F* Idem auctum. *g* Capsula. *h* Eadem aliter spectata. *k* Eadem dehiscens. *l* Semen.

458. MELOCHIA TOMENTOSA. *Lin.* (Tab. CLXXII. f. 2.)

M. Foliis ovatis serratis tomentosis : floribus umbellatis axillaribus : stylo quinquefido.

M. Floribus umbellatis axillaribus, capsulis pyramidatis pentagonis ; angulis mucronatis, foliis tomentosis. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 305. Miller. Dict. n<sup>o</sup>. 2. Jacq. Amer. 193.*

*Abutilon herbaceum procumbens, betonicae folio, flore purpureo. Sloan. Jam 97. hist. 1. p. 220. t. 139.*

*Tota planta tomentosa.*

Caules teretes ramis alternis.  
 Folia ovata, plicata, serrata, glauca. Stipulae subulatae erectae.  
 Flores umbellati, umbellis axillaribus. Involucrum breve setaceum polyphyllum :  
 pedicelli subquinque.  
 Calyx turbinatus, profunde partitus in quinque lacinias lanceolatas.  
 Corolla purpurea calyce multo major.  
 Staminum urceolus brevis : filamenta corollae breviora.  
 Germen pentagonum utrimque acutum, stylus simplex, crassiusculus, apice setis  
 quinque terminatus.  
 Fructus ut in praecedenti : loculamenta disperma.  
*Habitat in insula Sancti Dominici. V. S. communicatam a D. Fougereux. ¶.*  
 Obs. *Variat quandoque foliis oblongis acutis.*  
 Explic. fig. *m* Calyx. *n* Corolla cum staminibus. *o* Germen. *p* Fructus. *q* Idem  
 dehiscens.

459. MELOCHIA ODORATA. *Lin. Supp.* (Tab. CLXXIII. f. 2.)  
 M. Foliis subcordatis, ovato-acutis, biserratis, glabris; paniculis pedunculatis  
 compositis. *Lin. Sup. p.* 302.  
 Folia subcordata ovato-acuta biserrata glabra fere semipedalia, nervis subtus  
 protuberantibus. Stipulae. . . . .  
 Flores paniculati paniculis longe pedunculatis, ramosis : pedunculi et petioli  
 breviter tomentosi.  
 Calyx striatus, semiquinque partitus, laciniis acutis.  
 Corolla calyce plusquam dupla, petalis apice rotundatis, unguibus acutis ur-  
 ceolo staminifero affixis.  
 Stamina : filamenta quinque corolla paulo breviora prope basim latiuscula, ac  
 tandem in urceolum coalita : antherae ovatae.  
 Germen globosum hirsutum sulcatum : styli quinque, raro sex.  
 Fructus capsula globoso-sulcata hirsuta, quinquelocularis, quinquevalvis, locu-  
 lis polyspermis.  
*Habitat in insulis Tanna et Tongatabu : adportavit fragmenta D. Forster. V. S.*  
*folia et paniculam commun. a D. Jacquino.*  
 Obs. *Capsula variat loculamentis sex.*  
 Explic. fig. *A* Capitulum. *B* Calyx. *C* Petalum. *D* Stamina. *E* Germen. *F* Fruc-  
 tus. *G* Semen.

460. MELOCHIA DEPRESSA. *Linn.* (Tab. CLXXIII. f. 1.)  
 M. Caule fruticoso humili : foliis ovatis serratis tomentosis : floribus axillaribus  
 solitariis.  
 M. Floribus solitariis, capsulis depressis pentagonis, angulis obtusis ciliatis. *Lin.*  
*Sp. pl. v. 3. p. 305. n.º. 3. Mill. dict. n.º. 3.*

*Tota planta tomentosa.*

Radix lignosa, ramosa, longior totâ plantâ.

Caules fruticosi, palmares.

Folia alterna petiolis longiora, ovata, serrata, parva. Stipulæ lanæolatae de  
ciduæ.

Calyx monophyllus semiquinque partitus.

Corolla sulphurea calyce dupla.

Stamina : utceolus flavus germen cingens, terminatus filamentis quinque erectis : antheræ ovatæ.

Germen globosum villosum : styli quinque rubri filamentis breviores.

Frutum non vidi.

*Habitat in Peru. V. S. communicatam a D. Dombey.*

Obs. *Tota facies est Sidæ, sed fructificatio Melochiæ.*

Expl. fig. a Flos. b Calyx. c Petalum. d Stamina aucta. e Germen auctum.

461. MELOCHIA SUPINA. *Lin.*

M. Floribus capitatis : foliis ovatis serratis : caulibus procumbentibus. *Lin. ubi supra n<sup>o</sup>. 6.*

Alcea pusilla supina, Geranii exigui maritimi folio et facie Maderaspatensis, fructu in summo caule glomerato, pericarpio duro. *Pluk. Almag. 14. tab. 132. f. 4.*

*Habitat in India. Planta mihi ignota.*

## 462. MELOCHIA BORBONICA. (Tab. CLXXIV. f. 1.)

M. Foliis ovato-lanceolatis, acumine producto, dentatis : floribus axillaribus glomeratis : fructu quinquecapsulari.

Caules teretes ramosi, ramis virgatis, tripedales.

Folia alterna petiolis quadruplo longiora, subcordata, basi orbiculata, sensim angustiora atque in acumen longum acutum terminata ; dentata, quinque-nervia, utrimque subvillosa. Stipulæ breves ovatæ.

Flores axillares in globulis sessilibus glomeratæ.

Calyx parvus, dentibus acutis.

Corolla lutea vix calyce major.

Antheræ luteæ.

Germen globosum : styli quinque longitudine fere staminum.

Fructus villosus globosus ex quinque capsulis coadunatis compositus. Capsulæ subtriquetræ monospermæ.

*Habitat in Insulis Bourbon, Franciæ atque Sancti-Dominici. V. S. Comm. a D. Thouin.*

Obs. *A præcedentibus differt fructu quinquecapsulari.*

Explic. fig. a Calyx. b Stamina. d Eadem aucta. c Germen. e Idem auctum. f Fructus. g Capsula. h Semen.

463. MELOCHIA CORCHORIFOLIA *Lin.* (Tab. CLXXIV. f. 2.)

M. Foliis ovato-lanceolatis subtrilobis, serratis glabris: floribus capitatis terminalibus.

M. Floribus capitatis sessilibus, capsulis subrotundis, foliis subcordatis, sublobatis. *Lin. ubi supra n°.* 5.

M. Corchorifolio. *Dill. Hort. Elth. 221. t. 176. f. 217.*

Althæa peregrina, longiore betonicæ folio, floribus albis perexiguis, capitulis arcte conglomeratis. *Pluk. Alm. 25. tab. 44. f. 5.*

Tsieru vren. *Rheed. Hort. Mal. 9. p. 143. f. 73.*

Caulis ramosi, ramis virgatis scabriusculis.

Folia alterna petiolis longiora, ovato-lanceolata, subtriloba, serrata. Stipulæ acutæ breves deciduæ.

Flores capitati terminales.

Calyx duplex: exterior ex tribus setulis: interior minor urceolatus, quinque denticulis terminatus.

Corolla calycibus longior purpureo-flavens.

Staminum filamenta brevia: antheræ ovata.

Germen globosum: styli quinque basi coaliti.

Fructus globosus, qui videtur capsula quinquelocularis, loculis monospermis: secundum Dillenium capsulæ quinque.

*Habitat in India orientali. V. S. communicatam a D. de Lamarck.*

Obs. I. *An loculamenta quinque sint totidem capsula determinare non potui: valvulas tamen in duas partes concavas separabam, quod hoc ultimum indicat.*

II. *Rheedius in descriptione hujus plantæ dixit: Stamina in floribus novem, surrecta, flavis apicibus dotata cum breviori stylo. Fortasse styliorum maximam partem pro filamentis sumpsit.*

Explic. fig. o Calyx interior. p Exterior. O Ambo aucti. q Corolla. P Flos integer auctus in quo calyces revoluti. r Fructus.

464. MELOCHIA CONCATENATA. *Lin.* (Tab. CLXXV. fig. 2.)

M. Foliis sublanceolatis serratis: racemis florum terminalibus numerosis.

M. Racemis confertis terminalibus: capsulis globosis sessilibus. *Linn. loco citato n°.* 4.

Alcea indica, flosculis parvis, fasciculatim ramulis adfixis. *Pluk. Alm. 26. t. 9. fig. 5.*

*Tota planta parce villosa.*

Caulis ramosus, ramis divaricatis.

Folia alterna, petiolis longiora, serrata; superiora angusta, lanceolata; inferiora ovato-lanceolata. Stipulæ lanceolata.

Flores minimi, racemosi, terminales, involucrati setulis, atque stipulis.

Calyx duplex: interior minimus, semiquinquepartitus: exterior triplo longior triphyllus foliis angustissimis, uterque involucratus setulis plurimis.

Corollæ petala quinque minima lutea (in sicco.)

Staminum filamenta quinque brevia, basi coalita.

Germen globosum : styli quinque calyce interiori longiores.  
 Fructus globosus, estque capsula quinquelocularis, loculis monospermis:  
*Habitat in utraque India atque in Senegal unde adportata a D. Adansonio.*  
*V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu. ¶.*  
 Explic. fig. g Calyces. h Fructus. i Valvula bipartita. k Semen.

465. MELOCHIA HIRSUTA. (Tab. CLXXV. f. 1.)

M. Foliis ovatis inæqualiter serratis : spicis florum terminalibus densis hirsutis.

*Tota planta, præcipue tamen spica hirsuta.*

Caulis teres virgatus.

Folia alterna periolis duplo aut triplo longiora, ovata, versus apicem angustata, inæqualiter serrata. Stipulæ longæ lanceolatæ.

Flores spicati numerosi minimi terminales.

Calyx duplex : interior parvus semiquinquefidus laciniis acutis ciliatis : exterior major ex tribus aut pluribus foliolis lanceolato-acutis ciliatis.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat. . . . V. S. apud D. de Jussieu.*

Obs. I. *Hæc species affinis præcedenti, differt ab ea, in florescentia.*

II. *Ultimæ tres species calyce duplici ad Malvas et Dombeyas accedere videntur : verumtamen ab illis differunt filamentis quinque liberis basi dumtaxat coalitis, ut alia præteream. Conferantur Dombeyæ atque Malvæ characteres cum illis Melochiæ, quos tradidi.*

Explic. fig. a Calyces. b Interior auctus. c Corolla cum staminibus aucta. d Germen. e Fructus f. Semen intra loculum.

## P A R S X X X I X.

### D E M A H E R N I A. *Lin.* 424.

#### CHARACTER GENERICUS MAHERNIÆ.

Calyx monophyllus semiquinquepartitus laciniis acutis persistentibus.

Corolla : petala quinque apice rotundata patentia, unguibus angustata.

Stamina : filamenta quinque conniventia, basi in urceolum coalita, prope antheram dilatata in tuberculum cordatum, postea capillaria brevissima : antheræ subsagittatæ conniventes didymæ, apice utrimque perforatæ. (ut in Solano.)

Germen subpedicellatum globosum : stylus simplex subulatus antheris paulo longior. Stigma acutum.

Fructus : capsula globoso-ovata quinquelocularis, quinquevalvis, loculis polyspermis.

Semina subreniformia altera parte acuta.

Obs. I. *Affinitas summa Hermannia; a qua differt, 1°.* staminibus capillaribus, quibus supposita sunt corpora cordata tuberculosa; quæ non reperiuntur in *Hermannia*, cujus filamenta sunt lata et veluti utrimque membranacea; 2°. stylo simplici.

II. Si *Mahernia* cum *Hermannia* conjungitur, ut quibusdam placet, tunc temporis et *Melochia* ipsis adjungenda erit: sunt ergo characteres essentiales: *Mahernia*: filamenta capillaria prope apicem tuberculosa.

*Hermannia*: filamenta lata, atque petalorum unguis in tubum cucullatum plicati.

*Melochia*: filamenta capillaria nuda.

Omnes hucusque cognitæ *Mahernia* species sunt fruticuli promontorii *Bona Spei* accolæ.

## S P E C I E S.

466. MAHERNIA VERTICILLATA. *Lin.* (Tab. CLXXVI. f. 1.)

M. Foliis verticillatis linearibus (subciliatis pedunculis bifloris. *Addo Cav.*)

*Lin. Sp. pl. vol. 1. p. 776. n° 1.*

*Hermannia* ciliaris foliis lanceolatis acutis integris serratisque ciliatis. *Lin. Supp. pag. 302.*

Cistoides frutex Æthiopicus, parvis coronopii foliis ad nodos caulem radiatim ambientibus. *Pluk. Mant. 50. t. 344. f. 3.*

Caulis fruticosus teres scaber ramosus, bipedalis.

Folia verticillata, linearia, brevia, inæqualia, integra, aut pinnatifida, 8-10. Stipulæ. . . . .

Flores terminales et axillares bini nutantes: pedunculus communis plusquam pollicaris erectus, bractea terminatus amplexante, inciso-crenata, e cujus centro pedicelli duo inæquales breves.

Calyx villosus.

Corolla lutea, venis rubescentibus.

Staminum tubercula tomentosa: antheræ hastatæ.

Fructus: capsula ovata ciceris magnitudine.

*Habitat ad Cap. Bon. Sp. V. S. communicatam a D. Thunbergio. H.*

Explic. fig. a Calyx. b Petalum. c Germen. d Stamina. e Eadem aucta. f Stamen auctum. g Fructus. h Semen.

Obs. *Examinatis plantis (quas Cl. Thunbergio debeo) reperi unam eandemque esse M. verticillatam Linnæi, atque Her. ciliatam supplementi.*

*Plukenetii definitio atque tabula ad hanc speciem pertinet, minime vero ad M. pinnatam: errore ergo legitur contrarium in Lin. opere citato.*

467. MAHERNIA HETEROPHYLLA. (Tab. CLXXVIII. f. 1.)

M. Caule fruticoso subhispido: foliis verticillatis polymorphis: pedunculis 4-floris.

Caulis teres, nonnihil scaber, aliquando flexuosus, ramosus.

Folia verticillata (6, 7.) quorum unum petiolatum, incisum, ovatum aut lanceolato-obtusum, reliqua sessilia, minora, linearia, partim integerrima,

partim apice trifurcata. Stipulæ breves angustæ tres aut quatuor.  
 Florum pedunculus communis ad folium petiolatum oppositus erectus, pollicaris,  
 terminatus cucullo monophyllo ex cuius centro pedicelli prodeunt sæpe  
 quatuor.

Calyx tomentosus laciniis acutis.

Corollæ petala lutea subcrenata.

Staminum tubercula tomentosa.

Fructus. . . . Deerat in exemplaribus.

*Habitat ad caput Bonæ Spei. H. V. S. apud D. de Jussieu.*

Explic. fig. *a* Involucrum cucullatum. *b* Calyx. *c* Stamina. *d* Eadem aucta. *e* Sta-  
 men auctum. *f* Petalum.

468. MAHERNIA PULCHELLA. (Tab. CLXXVII. f. 3.)

M. Caule spithameo erecto lævi foliis lanceolatis pinnatifidis, pinnis integris  
 incisisque. *Lin. Sup. inter Hermannias, p. 302.*

*Tota planta glaberrima.*

Ex eadem radice crassa lignosa, caules prodeunt numerosi fruticosi, erecti,  
 læves, trium aut quatuor pollicum.

Folia alterna lanceolata pinnatifida, laciniis linearibus. Stipulæ basi latæ, apice  
 setaceæ.

Flores gemini: pedunculus communis brevis; partiales brevissimi; involu-  
 crum trifidum.

Calyx ut in superioribus.

Corolla parva rubescens petalis integris.

Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat cum precedentibus. H. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

Explic. fig. *X* Stamina aucta.

469. MAHERNIA PINNATA. *Lin.* (Tab. CLXXVI. f. 2.)

M. Foliis bipinnatifidis: pedunculis capillaribus elongatis bifloris.

M. Foliis tripartito-pinnatifidis. *Linn. Sp. pl. vol. 1. p. 76.*

*Hermannia diffusa procumbens, foliis lanceolatis pinnatifidis: pinnis integris  
 dentatisque, pedunculis capillaribus bifloris. Linn. Supp. 302.*

*Hermannia frutescens folio multifido tenui, caule rubro. Boerh. Lugd. 1. p. 273.*

Caules fruticosi, teretes, numerosi, prostrato erecti, pedales.

Folia alterna petiolata bipinnatifida pinnulis alternis, laciniis linearibus. Stipulæ  
 bi-trifidæ.

Flores axillares et terminales, bini, nutantes, campanulati. Pedunculus com-  
 munit pollicaris erectus, bractea terminatus amplexicauli inciso-crenata, e  
 cuius centro prodeunt pedicelli duo breves inæquales.

Calyx ut in precedentibus.

Corolla campanulato-patens pulcherrime rubra petalis ovatis, basi angus-  
 tissimis.

Staminum tubercula viridia.



Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat cum precedenti. H. V. V. apud D. Cels. Floret maio, jun. et jul.*

Obs. I. *A precedente valde diversa quamquam foliis similis.*

11. *Linnaei Supp. planta (quam attente examinavi communicatam a D. Thunbergio) ab hac differt corollis luteis quorum petalorum unguis sunt in tubum cucullatum plicati. Propter omnimodam in reliquis similitudinem ad hanc speciem revoco tanquam varietatem valde notabilem.*

Explic. fig. *A* Capitulum. *B* Calyx. *C* Corolla. *D* Stamina. *E* Eadem aucta. *F* Filamentum. *G* Germen et stylus.

470. MAHERNIA GLABRATA. (Tab. CC. f. 1.)

*M. Foliis lanceolatis acutis inciso-serratis glabris, floribus cernuis. Linn. Supp. inter. Hermann.*

Caulis fruticosus, cujus rami aggregati subsecundi.

Folia alterna distantia breviter petiolata, lanceolata, acuta dentibus aliquot utrimque. Stipulae acutae, basi latae, breves.

Flores bini cernui, quorum alter ad involucrium sessile, alter pedunculatus: utriusque pedunculus communis erectus, plusquam pollicaris, oppositifolius.

Calycis lacinae acutae,

Corolla lutea.

Staminum filamenta prope antheras incrassata, cordiformia, villosa.

Stylus simplex.

Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat ad Caput Bon. Sp. H. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

471. MAHERNIA BISERRATA. (Tab. CC. f. 2.)

Caulis tereti scabriusculo: foliis lanceolatis inaequaliter serratis, pedunculis bifloris.

*Hermannia biserrata foliis ovatis lanceolatis, inaequalibus, serratis, glabris; floribus cernuis. Lin. Sup. p. 302.*

Caulis suffruticosus pedalis, teres, scabriusculus; ramis paucis.

Folia alterna lanceolata inaequaliter serrata, glabra, petiolis multo longiora.

Stipulae lanceolatae.

Reliqua ut in precedente, at pedunculus communis brevior, et involucrium trifidum.

*Habitat cum precedente. H. V. S. Communicatam a D. Thunbergio.*

## P A R S X L.

D E H E R M A N N I A. *Lin.* 893.

## C H A R A C T E R P R O P R I U S H E R M A N N I Æ.

Filamenta quinque lata et veluti membranacea basi coalita.

Petalorum ungues in tubum cucullatum plicati.

Styli quinque.

Reliqua ut in *Mohernia*.

Obs. *Hermannia* species omnes sunt fruticose, promontorii *Bonæ Spei* accola. *Parisiis* conservantur in caldariis et hibernaculis.

## S P E C I E S.

472. HERMANNIA ALTHÆIFOLIA. *Lin.* (Tab. CLXXIX. f. 2.)

H. Foliis ovatis serrato - dentatis tomentosis : stipulis foliaceis : floribus geminis.

H. Foliis ovatis plicatis crenatis tomentosis. *Lin. Sp. pl. vol. 3. p. 302. n.º. 1.*

H. Capensis althææ folio. *Petiv. Gaz. 53. t. 34. f. 2. optima.*

Ketmia africana frutescens foliis mollibus et incanis. *Comm. hort. 2. pag. 151.*

t. 79.

*Tota planta tomentosa.*

Caulis fruticosus valde ramosus tripedalis.

Folia alterna, petiolis longiora, ovata, plicata, serrato-dentata. Stipulæ ovato-lanceolatae magnæ.

Flores axillares, pedunculis communibus solitariis, aut binis, folio brevioribus, bifloris : pedicelli breves : involucrum ex tribus aut quatuor foliolis lanceolatis ; juxta quæ duo alia reperiuntur minima.

Calyx hemisphæricus decemsulcatus, dentibus quinque acutis terminatus.

Corollæ petala sulphurea apice patentia atque in spiram convoluta, quod omnibus speciebus convenit unica excepta, *Herm.* scilicet involucrata.

Filamenta pellucida. Antheræ luteæ.

Germen viride : styli coaliti : stigmata nonnihil incrassata.

Fructus capsula tomentosa angulis quinque profundis : semina nigra, quandoque abortu solitaria.

*Habitat in Æthiopia et in Capite Bonæ Spei. H. V. floridam in R. H. P. mensibus junio, julio et augusto. Specimen capense misit D. Thunbergius.*

Explic. fig. A Calyx. B Corolla. C Petalum. D Corolla antice spectata. E Geni-

talía. *F* Germen. *G* Genitalia aucta. *H* Stamen auctum. *I* Filamentum auctum. *K* Fructus. *L*. Loculamentum. *M* Semen.

## 473. HERMANNIA INCANA.

*H.* Foliis ovatis, plicatis, tomentoso-incanis : stipulis parvis subulatis.

*Tota planta tomento minimo albicante est obsita.*

Caulis teres erectus ramosus tripedalis.

Folia alterna ovata plicata, adeo ut margo quasi undulatus et crenatus appareat : nervi protuberantes : petioli teretes folio breviores. Stipulae breves subulatae.

*V. V.* apud *D.* *Cels* nondum floridam ; quam diversam reputo a precedenti propter stipulas, et a sequenti foliorum atque stipularum figura.

474. HERMANNIA SALVIFOLIA. *Lin. Suppl.* (Tab. CLXXX. f. 2.)

*H.* Foliis ovatis integris rugosis, tomentoso-hispidis : floribus cernuis. *Linn. Suppl.* pag. 302.

*Tota planta valde tomentosa, hispida et nonnihil flava.*

Caulis fruticosus teres ramosus.

Folia alterna subsessilia ovata rugosa : stipulae subulatae, basi latae.

Flores glomerati cernui terminales.

Calycis laciniae subulatae.

Corolla lutea calyce duplo major.

Germen villosum : stylus apice quinquefidus.

*Habitat in Capite Bona Spei. H. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

*Explic. fig. A* Calyx. *B* Petalum. *C* Stamen.

## 475. HERMANNIA INVOLUCRATA. (Tab. CLXXVII. f. 1.)

*H.* Foliis ovatis acutis tomentosis : floribus solitariis involucreis : corollis revolutis.

*Tota planta valde tomentosa.*

Caulis fruticosus ramosus ramis rubescentibus.

Folia alterna subsessilia ovata integerrima flavescencia, obsita pilis minimis fasciculato-stellatis. Stipulae lineares acutae subcarnosae.

Flores axillares solitarii breviter pedunculati : ad basim pedunculi laciniae 8-10 carnosae lineares rubescentes, calycem cancellantes.

Calyx nonnihil diaphanus quinque-dentatus.

Corollae petala sulphurea, apice latiora, revoluta emarginata.

Germen villosum quinque sulcatum : stylus rubescens.

*Habitat cum precedenti. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

Obs. *Fragmentum quod vidi staminibus erat orbatum : Hermanniis adnumero ex habitu plantæ.*

Explic. fig. *a* Flos integer. *b* Corolla. *c* Calyx. *d* Germe.

476. HERMANNIA DENUDATA. *Lin. Supp.* ( Tab. CLXXXI. f. 1. )

H. Foliis lanceolatis acutis lævibus, superne serratis. *Lin. Supp.*

*Tota planta glaberrima.*

Caulis teres erectus tripedalis valde ramosus, rubescens.  
Folia alterna crassiuscula, remota, saturate viridia, lanceolata, acuta, superne serrata, petiolis multoties longiora. Stipulæ ovato-acuminatæ, basi subcordatæ.

Flores subracemosi terminales, in unoquoque pedunculo bini, pedicellis brevibus ad quorum basim bractæ tres ovato-acutæ.

Calyx pentagonus, acuminibus quinque acutis.

Corolla saturate lutea, calyce major.

Capsula intra calycem; hocque paulo major: loculis trispermis.

*Habitat in Capite Bonæ Spei. Vivam habeo ex seminibus capensibus Floruit apud D. Cels mense augusto.*

Explic. fig. *a* Calyx. *b* Capsula. *c* Semina.

477. HERMANNIA PROCUMBENS. ( Tab. CLXXVII. f. 2. )

H. Foliis inciso-pinnatifidis inferioribus ovatis, superioribus elongatis: floribus racemosis.

*Althæa africana frutescens floribus aureis cochleatis pendulis minoribus. Volk. Norimb. 24. t. 24.*

Caulis procumbens sulcatus, ramosus, pedalis et amplius.

Folia alterna, petiolis crassis sustentata: inferiora ovata incisa, superiora longa angusta pinnatifida. Stipulæ breves cordatæ acutæ.

Flores racemosi terminales: flos quilibet pedunculatus, stipulatus; stipulis minimis.

Calycis lacinia ovata acuminibus setosis.

Petala sulphurea calyce multo majora.

Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat in Capite Bonæ Spei. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

Explic. fig. *A* Calyx. *B* Petalum. *C* Stamen auctum. *D* Germe.

Obs. *Sequenti, mihi ignota, videtur affinis; differt tamen floribus racemosis.*

478. HERMANNIA GROSSULARIFOLIA. *Lin.*

H. Foliis lanceolatis pinnatifidis. *Linn. Sp. pl. tom. 3. p. 304.*

H. Foliis obovatis acute incisis: pedunculis bifloris. *Roy. Lugdb. 347. Mill.*

*Dict. n°. 2.*

*Habitat in Æthiopia. H.*

479. HERMANNIA ALNIFOLIA. *Lin.* ( Tab. CLXXIX. f. 1. )

H. Caule fruticoso ramis diffusis : foliis cuneiformibus crenatis emarginatis : floribus racemosis.

H. Foliis cuneiformibus, lineatis, plicatis, crenato-emarginatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 3. Hort. Cliff. n.º. 342. Mill. Illust. syst. tab. picta pulcherrima.*

*Ketmia africana vesicaria fruticans et erecta, alui foliis latioribus et majoribus. Comm. Hort. 2, p. 155. t. 78.*

Caulis fruticosus ramosissimus ramis diffusis, rubescens subscaber bipedalis.

Folia alterna, cuneifolia, crenata, emarginata, breviter petiolata. Stipulae cordatae, breves, apice setosae.

Flores racemosi racemis terminalibus oblongis, pedicellis alternis bifloris bracteatis.

Calyx turbinato-hemisphaericus, decemnervius, flavescens, denticulis quinque terminatus.

Corolla sulphurea calyce major.

Antherae rufescentes.

Germen villosum : styli quinque adproximati.

Capsulae loculamenta aliquando monosperma; in patria polysperma; semina nigra orbiculato-reniformia sulcis insculpta.

*Habitat in Capite B. Spei. H. Habui floridam mensibus junio, julio et aug. Colitur in R. H. P.*

Expl. fig. a Flos integer. b Calyx expansus. c Idem auctus. d Petalum, e Idem auctum. f Genitalia. g Eadem aucta. i Germen cum stylis. h Stamen. k l Capsula et Semen. m Loculamentum auctum ubi conspiciuntur semen perfectum, n et reliqua quae abortum fuerunt passa; omnia tamen aucta.

Obs. *Arbuscula africana tricapsularis, &c. (Pluk. Mant. 24. t. 339.) minime huic speciei congruit; fortasse conjungenda esset cum mea Herm. vesicaria de qua infra, si fructu ab Hermannia non recederet.*

480. HERMANNIA HYSSOPIFOLIA. *Linn. (Tab. CLXXXI. f. 3.)*

H. Foliis lanceolatis obtusis serratis (calycibus inflatis addo *Cav.*) *Linn. loco citato. n.º. 4.*

Caulis fruticosus ramosus ramis patulis, tripedalis et amplius.

Folia numerosa, alternatim, sparsa breviter petiolata, saepiusque dependentia lanceolato-ovata oblonga, serrata versus apicem. Stipulae lanceolatae acutae erectae deciduae.

Flores racemosi racemis terminalibus.

Calyx subvillosus inflatus flavus, globoso-pentagonus, acuminibus conniventibus, corollaeque petala angustantibus.

Corolla sulphurea parum exerta.

Antherae filamentis angustiores, ovato-acutae.

Germen villosum : styli quinque.

*Habitat in Aethiopia et in Capite B. Spei. H. Habui floridam a mense maio usque ad aug. Colitur in R. H. P.*

Explic. fig. d Flos integer. e Corolla. f Petalum. g Genitalia. h Stamina aucta. i Stamen unicum. k Germen. K Genitalia aucta.

## 481. HERMANNIA SCABRA. (Tab. CLXXXII. f. 2.)

H. Caule scabro : foliis lanceolato-ovatis dentatis scabris ; pedunculis bifloris : calycibus brevibus.

*Tota planta scabra.*

Caulis fruticosus ramosus ramis virgatis.

Folia parva alterna , breviter petiolata , lanceolato-ovata , apice crenata , limbo laterali bidentato ; illorum scabrities provenit ex pilis fasciculato-stellatis. Stipulæ ovato-lanceolatæ.

Flores terminales distantes , pedunculis bifloris.

Calyx diaphanus brevis , laciniis acutissimis.

Corolla sulphurea calyce multo major.

Staminum filamenta latissima diaphana : antheræ subsagittatæ bicornes.

Germen ovatum quinque sulcatum : styli quinque.

Capsula calyce basi cincta quinque sulcata villosa.

*Habitat ad Caput B. Spei. H. V. S. apud D. de Lamarck.*

Obs. *Affinis præcedenti a qua præcipue differt calycibus non inflatis.*

Explic. fig. a Calyx. b Germen. c Stamen. d Idem auctum. e Fructus intra calycem. f Valvula.

## 482. HERMANNIA LAVENDULIFOLIA. Lin. (Tab. CLXXX. f. 1.)

H. Foliis lanceolatis obtusis integerrimis. Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 5.

H. Frutescens folio lavendulæ latiore et obtuso , flore parvo aureo. Boërh. Lugd. 1. p. 273. Dill. Elth. 179. tab. 147. fig. 176.

Caulis bipedalis ramosus , ramis teretibus.

Folia alterna breviter petiolata , lanceolata , obtusa , integerrima , tomento brevissimo mollia , dilute viridia. Stipulæ lanceolato-lineares erectæ.

Flores bini , quorum pedunculus communis semipollicaris , dehin sustentati pedicellis brevissimis , interjectis stipulis.

Calycis laciniæ ovatæ.

Corolla aurea calyce duplo major , petalorum unguibus viridibus.

Antheræ fuscæ , pilis minutissimis vestitæ.

Styli quinque coaliti.

*H. bitat ad Cap. B. Spei. H. V. floridam apud D. Cels mense maio.*

Obs. *Varietatem habeo siccam capensem cujus flores sunt minutissimi , foliaque multoties minora quam in superiori ; cujus ramulum depinxi in tabula supra citata , Littera X.*

Explic. fig. a Flos integer. b Idem antice spectatus. c Petalum. d Genitalia aucta. e Stamen auctum.

## 483. HERMANNIA VESICARIA. (Tab. CLXXXI. f. 2.)

H. Caule tomentoso : foliis confertis pinnatifidis subtus piloso-stellatis : fructibus magnis inflatis terminalibus.

Caulis fruticosus ramosus , ramis tomentosis.

Folia parva rufescentia pinnatifida , basi cuneiformia atque in petiolum termi-

nata, apice trifida, lateraliter bidentata; desuper glabra, subtus piloso-stellata, limbo ornato stellulis pilosis. Stipulae setaceae breves.

Flores racemoso-terminales.

Calyx brevis, crassiusculus, villosus; laciniis ovatis.

Fructus capsula globosa (cerasi fructum parvum magnitudine æquans) sulcis quinque profundis: loculamenta trisperma.

Semina reniformia, majora quam in reliquis speciebus, affixa columnae filiformi.

*Habitat ad Cap. B. Spei. V. S. sine flore, communicatam a D. de Lamarck.*

Explic. fig. C Loculamentum sectum, cum tribus seminibus.

484. HERMANNIA FILIFOLIA. *Lin. Supp.* (Tab. CLXXX. f. 3.)

H. Foliis lineari-triquetris glomeratis; stipulis magnis lanceolatis.

H. Foliis lineari-triquetris integerrimis. *Lin. Supp. p. 302.*

Caulis teres scabriusculus, ramis alternis erectis.

Folia alterna, fasciculata, lineari-acuta, integerrima. (Lineari-triquetra dixit Linnæus, in sicco tamen apparent ut plurimum canaliculata.) Stipulae foliis longiores lanceolato-acutae.

Flores axillares solitarii, bini aut terni, breviter pedunculati.

Corolla sulphureo-rubescens (in sicco), calyce duplo major.

Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat in Capite Bonæ Spei. V. S. communicatam a D. Thunbergio. Exemplar optimum possidet D. de Lamarck.*

Explic. fig. D Flos integer. E Stamen auctum. F Petalum.

Obs. *Valde suspicor cum sequenti conjungenda: videant qui utrasque possint examinare; mihi enim ignota est planta quæ sequitur.*

485. HERMANNIA LINIFOLIA. *Lin.*

H. Foliis linearibus; pedunculis unifloris. *Lin. Sp. pl. tom. 3. p. 303 n<sup>o</sup>. 6. Burm. prodr. 18.*

*Habitat ad Caput Bonæ Spei H.*

486. HERMANNIA TRIFURCATA. *Linn.* (Tab. CLXXVIII. f. 2.)

H. Foliis lanceolatis integris, tridentatisque, racemis secundis. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 2. Amœnit. acad. 6.*

Caulis fruticosus pedalis, cujus rami sparsi, rigidi.

Folia alterna parva lanceolata: inferiora tridentata: stipulae minimae.

Calyx diaphanus nervo dorsali ad singulas lacinias.

Corolla lutea, calyce duplo major.

Germen globosum: styli quinque initio coaliti, postea separati.

Reliqua ut in congeneribus.

*Habitat in Capite Bonæ Spei. V. S. Communicavit frustulum D. Thunbergius.*

Explic. fig. g Calyx. h Petalum. i Genitalia. k Eadem aucta. l Stamen auctum.

487. HERMANNIA TRIFOLIATA. *Lin.* (Tab. CLXXXII. f. 1.)

H. Foliis alternis tomentosis plicatis cuneiformibus : stipulis maximis foliosis ovatis.

H. Foliis ternatis sessilibus plicatis retusis tomentosis. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 7. Hort. Cliff. 342.*

H. Frutescens folio oblongo molli cordato hirsuto. *Boërh. Ludg. 1. pag. 273 apud Linn.*

*Caulis fruticosus repens, ramis angustis teretibus tomentosis quemadmodum et tota planta.*

Folia alterna pollicem longa cuneiformia, sensimque in petioli formam angustata, apice veluti truncata et crenata : stipulæ folio paulo breviores oblongo-ovatae integerrimæ.

*Flores penduli.*

*Calyx campanulatus tomentosus, se mi quinque fidus, laciniis dilatatis rotundatis.*

*Corolla calyce angustior.*

*Habitat in Æthiopia H. V. S. absque floribus apud D. de Jussieu, ubi notatur quod exemplar est Americanum.*

*Obs. Stipulæ hujus plantæ non sunt vere folia, quare præpostere, mea sententia, Herm. trifoliata appellatur.*

*Quæ in descriptione sunt caractere italico desumpsi ex Linnæo.*

488. HERMANNIA TRIPHYLLA. *Lin. (Tab. CLXXVIII. f. 3.)*

H. Foliis ternatis planis obovatis, medio petiolato majore.

H. Foliis ternatis, petiolatis, planis, obovatis. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 8.*

*Tota planta est obducta tomento brevi.*

*Caulis fruticosus, scabriusculus, ramosus.*

*Folia alternatim ternata obovata; quorum inferius est majus atque breviter petiolatum, lateralia breviora sessilia. Stipulæ acutæ.*

*Flores terminales racemosi pedunculis alternis uni-bifloris.*

*Calyx coriaceus, laciniis acutissimis.*

*Corolla sulphurea calyce major.*

*Styli quinque.*

*Reliqua ut in congeneribus.*

*Habitat in Capite Bonæ Spei. H. V. S. communicatam a D. Thunbergio.*

*Explic. fig. m Capitulum floris. n Petalum. o Stamina aucta.*

#### OBSERVATIO.

*Hermannia ciliaris, pulchella, diffusa, glabrata, et biserrata. Lin. Supplementi sunt supra descriptæ inter Mahernias.*



## P A R S X L I.

## D E U R E N A.

## C H A R A C T E R G E N E R I C U S U R E N Æ.

Calyx duplex persistens; exterior monophyllus semiquinquepartitus laciniis lato-acutis: interior ex quinque foliolis lanceolatis, basi subcoalitis atque interne glandulosis.

Corolla: petala quinque basi coalita, unguibus angustata, apicibus rotundata.  
Stamina: tubus corollæ brevior, germen cingens, versus apicem filamenta sustinens numerosa brevissima: antheræ rotundatæ.

Germen superum, globoso-pentagonum; stylus simplex apice decempartitus, stigmata capitata reflexa.

Fructus globosus, compositus ex quinque capsulis subrotundo-triquetris, extus echinatis; spinulis numerosis indeterminatis, minimis.

Semina solitaria subtriquetra:

Folia glandulosa.

Obs. I. *Genus valde affine Malachræ atque Pavoniæ: ab illa distinguitur calycibus pentaphyllis, et capsulis echinatis: ab hac calycibus, et spinulis numerosis, numero indeterminato, quum in Pavonia sint spinæ longæ 15: ab utroque denique genere secernitur ulterius foliis glandulosis.*

II. *Species aliquæ sunt heterophyllæ*

## S P E C I E S.

489. URENA TRICUSPIS. (Tab. CLXXXIII. f. 1.)

U. Caule piloso: foliis uniglandulosis, ovato-angulatis; angulis acuminatis serratis.

U. Foliis angulatis. *Commers. herb. cum icone.*

Caulis fruticosus teres vimineus pilosus, tripedalis et ultra.

Folia alterna magna longe petiolata, versus apicem breviora, ovato-angulata; inæqualiter serrata, villosa-tomentosa; semitripartita, lobis acuminatis: prope basim nervi præcipui exstat glandula oblonga. Stipulæ breves.

Calyx exterior pilosus striatus: interior ciliatus diaphanus foliolis carinatis, basi interne glandulosis.

Corolla lutea striata pollicaris patens.

Staminum tubus corollæ brevior, cylindræus, filamenta sustinens brevia: antheræ parvæ reniformes.

Germen ac reliqua ut supra in generico caractere.

Semina nigra glabra.

*Habitat in insulis Francia et Borbon. V. S. communicatam a D. de Jussieu.*  
 Explic. fig. *A* Flos magnitudine naturali. *aa* Glandulæ. *b* Calyx exterior. *c* Interior cum quinque glandulis. *d* Genitalia. *e* Germen, stylus, stigmata. *f* Stigmata aucta. *g* Capsula. *h* Eadem aliter spectata. *i* Valvulæ. *k* Semen.

490. URENA AMERICANA. *Lin. supp.*

*U.* Foliis trifidis basi integris. *Lin. supp. p. 308.*

*Malva fruticosa, ribesii foliis, seminibus asperis. Sloan. Hist. 1. pag. 37. tom.*

*11. fig. 2.*

Caulis frutescens teres, vix scaber.

Folia petiolata semitriloba; sinubus obtusis, non rotundato excavatis; serrata; basi integra, obtusiuscula, lobo medio paulo majore, lobis extrorsum magis distantibus: sub tomento poro nectareo ad basim nervi intermediæ paginæ inferioris.

Calyx et fructus ut in reliquis, sed corolla minor.

*Habitat in Surinamo. H. C. G. Dalberg.*

*Obs. Planta mihi ignota, quæ tamen præcedenti videtur affinis, quamquam patriâ atque corollâ differat, necnon et foliorum sinubus.*

491. URENA RETICULATA. (Tab. CLXXXIII. f. 2.)

*U.* Foliis reticulatis uniglandulosis, sinuato-serratis inferioribus trilobis: reliquis lanceolatis.

Caulis fruticosus tripedalis ramosus, ramis petiolisque subtomentosis.

Folia alterna, superne viridia, inferne albicantia tomento brevissimo, atque nervulis reticulata: inferiora magna, petiolis longiora, basi ovata, integra, triloba, lobo medio longiore; reliqua lanceolata sinuato-denticulata, atque breviter petiolata: ab basim nervii intermediæ glandula oblonga. Stipulæ...

Calycis exterioris laciniæ acutæ striatæ.

Reliqua ut in *U. tricusp.* at flores minores.

*Habitat in America æquinoxiali. H. V. S. apud D. de Lamarck.*

492. URENA VIMINEA. (Tab. CLXXXIV. f. 1.)

*U.* Foliis uniglandulosis: inferioribus rotundato-acutis sublobatis; superioribus lanceolatis serratis: calyce exteriore majore.

Caules teretes vix tomentosi tripedales et amplius.

Folia alterna, petiolis longiora, subtus viridia, scabra, desuper albicantia, subtomentosa, glandulosa ut in præcedentibus. Inferiora subcordata, rotundato-acuta, serrata, sublobata; superiora lanceolata. Stipulæ lanceolatæ deciduæ.

Flores axillares et terminales solitarii, bini aut terni, pedunculis brevibus sustentati.

Calyx exterior oblongus, laciniis profundis lineari-lanceolatis, striatis: interior duplo brevior.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in Brasilia. V. S. apud D. de Jussieu. Reperit Commerson.*

*Obs. Rami sunt quandoque sesquipedales, in quibus omnia folia sunt lanceolata,*

qui si seorsim a planta integra observantur, ad aliam speciem pertinere videbuntur.

Explic. fig. a Calyx exterior. b Interior cum glandulis. c Genitalia. F Folium.

493. URENA MULTIFIDA. (Tab. CLXXXIV. f. 2.)

U. Foliis uniglandulosis sinuato-multifidis, sinibus rotundatis denticulatis; caule ramosissimo.

, An Lapago Ambonica. *Rumph. Amb. 6. p. 59. t. 25?*

*Tota planta villosa-tomentosa.*

Caules teretes, ramis numerosis erectis.

Folia alterna, petiolis longiora, cordata, quinquelobata, lobis incisiss serratis, sinibus rotundatis dentatis; nervi quinque et in horum intermedio glandula oblonga. Stipulae ovato-acutae deciduae.

Flores axillares et terminales, solitarii, pedunculis brevibus.

Calyx exterior interiore paulo major.

Corolla lutea parva.

Reliqua ut in precedenti.

*Habitat in Insula Franciae. V. S. communicatam a D. de Jussieu.*

494. URENA LOBATA *Lin.* (Tab. CLXXXV. f. 1.)

U. Foliis triglandulosis cordatis angulatis serratis; latitudine longitudinem superante.

U. Foliis angulatis *Lin. Sp. pl. vol. 3 p. 154.*

U. Sinica Xanthii facie. *Dill. Elth. 340. tab. 319. f. 412.*

, Trifolio affinis Indiae Orientalis, Xanthii facie. *Breyn. cent. 82. t. 35?*

Caulis fruticosus 4-pedalis et amplius, ramosus, ramis patulis, subtomentosis.

Folia alterna petiolis subaequalia, cordata, angulata, serrata, magis lata quam longa, 5-7-nervia, venulis reticulata, scabriuscula: glandulae tres prope basim nervorum principalium. Stipulae breves, lineares, deciduae.

Flores axillares, saepius solitarii, pedunculis brevibus.

Calyx exterior striatus profundeque 5-partitus: interior brevior foliolis quinque basi glandulosis.

Corolla rosea calyce duplo major, petalis integris.

Reliqua ut in precedenti.

*Habitat in Brasilia, Insula Franciae, China et alibi. H. Habui floridam mense octobri. Colitur in R. H. P.*

Obs. *Variat stigmatibus quinque.*

Explic. fig. a Calyx exterior. b Interior cum glandulis. c Germen, stylus, stigma.

d Fructus. e Capsula. f Semen. F Folium.

495. URENA SINUATA. *Lin.* (Tab. CLXXXV. f. 2.)

U. Foliis triglandulosis sinuato-lobatis serratis, sinibus obtusis.

U. Foliis sinuato-palmatis, sinibus obtusis. *Lin. ubi supra n. 2.*

*Alcea indica frutescens.* Pluk. Alm. 15. t. V. f. 3.  
 Caulis fruticosus tripedalis ramosus subtomentosus.  
 Folia petiolis subæqualia lobato-sinuata, serrata, glandulis tribus in nervis intermediis: stipulæ breves lineares deciduæ.  
 Petala emarginata.  
 Stigmata decem.  
 Reliqua ut in præcedenti.  
*Habitat in India.* H. *Habui floridam mense decembri. Colitur in R. H. P.*  
 Explic. fig. g Corolla. h Genitalia.

496. URENA PROCUMBENS. Lin.

U. Foliis oblongis sinuatis serratis, caule procumbente. Lin. loco citato n<sup>o</sup>. 4.  
 Caulis frutescens, procumbens, repens, ramosissimus.  
 Folia magnitudine origani, subcordata, integra nec lobata, lævia, argute serrata.  
 Flores foliis majores. Lin.  
*Habitat in Chinæ monticulis.* H. *Planta mihi ignota.*  
 Obs. I. *Urena typhalea* Lin. et *Urena leptocarpa* supplementi reperiuntur infra inter Pavonias. Vide Mantissam III.  
 II. *Malvinda foliis inferioribus multifidis, superioribus incisis flore solitario.* Burm. Zeyl. 150. tab. 69. f. 2. et *Alcea indica frutescens, foliis in lacinias varie dissectis.* Pluk. Alm. 15. tab. 74. f. 1. *Urenam constituunt mihi ignotam, a præcedentibus diversam.*

## P A R S X L I I.

### D E H A L E S I A. Lin. 651.

#### CHARACTER GENERICUS HALESIÆ.

Calyx superus, persistens, ex quatuor denticulis minimis basi in corpus coalitis, germen aliqua parte vestiens.  
 Corolla monopetala, campanulata, ventricosa, ore quadrilobo, obtuso, patulo.  
 Stamina: tubus germinis apicem cingens, in duodecim filamenta erecta partitus: antheræ oblongæ adnatæ ad summitatem internam filamentorum.  
 Germen oblongum inferum: stylus filiformis corollæ longitudinis: stigma simplex.  
 Fructus: nux corticata oblonga utrinque angustata, octogona, angulis 2-4 membranaceis; quadrilocularis.  
 Semina solitaria, oblonga subtriquetra.  
 Obs. I. *Si calycis nomine intelligatur pars viridis turbinata, nedum denticuli in*

quos ipsa terminatur, germen tunc temporis erit intra calycem, qui mirum in modum elongatur fructu maturante, huncque omnimode vestit corticis instar.

II. *Nux* quandoque est trilocularis.

497. *HALESIA TETRAPTERA*. *Lin.* (Tab. CLXXXVI.)

H. Foliis ovatis acuminatis argute serratis : fructu tetraptero.

H. Foliis lanceolatis ovatis, petiolis glandulosis. *Lin. Sp. pl. vol. 2. pag. 417. n<sup>o</sup>. 1. Mill. dict. n<sup>o</sup>. 1.*

H. Fructibus membranaceo quadrangulatis. *Ellis Act. angl. vol. 51. pag. 931. tom. 22.*

Frutex padī foliis serratis, floribus monopetalis albis campaniformibus, fructu crasso tetragono. *Catesb. Carol. 1. p. 64. t. 64.*

Caulis arboreus 18 et amplius pedes altus, ramosus ramis inferioribus patulis.

Folia alterna ovato-acuminata, argute serrata, subtus albicantia, pagina superiore viridia : petioli breves in quibus aliquando reperiuntur glandulæ minimæ. Stipulæ nullæ.

Flores in ramis vetustioribus aphyllis alternatim terni quamproxime, ex eodem puncto prodeuntes pedunculis semipollicaribus : rami hi coronantur frondibus.

Calyx viridis, denticulis minimis.

Corolla candida nutans.

Filamenta alba erecta corollâ breviora, 12, basi coalita in tubum brevem vel potius urceolum.

Germen viride : stylus ruber.

Fructus alis instructus quatuor.

*Habitat in Carolina. J. V. V. in ditissimo horto D. Lemonier. Floret mense maio, fructus maturat decembri.*

Obs. *Variat fructibus 3-5 alatis : loculamenta non semper fecunda. Ellis loco citato in eadem tabula duos ramulos pinxit, floridum scilicet et fructiferum, qui ad hanc speciem pertinent ut ego quidem arbitror : si ergo folia in florido sunt sextuplo minora quam in alio, hoc natura congruit ; arbor enim flores profert quum folia sunt adhuc minima.*

Explic. fig. a Denticuli calycis tegumento turbinato germinis adfixi. b Germen coronatum denticulis, terminatum stylo mag. naturalis. c Flos integer in quo corolla est secta. d Stamina. ee Filamenta interne externeque spectata. f Fructus. g Ejusdem sectio. h Semen.

498. *HALESIA DIPTERA*. *Lin.* (Tab. CLXXXVII.)

H. Foliis ovatis acutis serratis : fructibus bialatis, pedunculis elongatis.

H. Foliis ovatis, petiolis lævibus. *Lin. loco citato n<sup>o</sup>. 2. Mill. dict. n<sup>o</sup>. 2.*

H. Fructibus alatis. *Ellis Act. angl. ad calcem articuli supra citati.*

Obs. *Arbor præcedenti adeo similis, ut pro varietate fortasse reputanda sit : folia sunt magis ovata ; fructus duæ alæ majores, atque pedunculi longiores. Ellis fructum pinxit, quem mea tabula sistit littera F. Plantam ibi depictam reperi in herbario D. Lemonier, in qua petioli erant tuberculati, et foliorum pagina glaberrima nec albicantes.*

*Habitat cum præcedente. J. V. S.*

P A R S X L I I I .  
D E S T Y R A C E . *Lin.* 599.

C H A R A C T E R G E N E R I C U S S T Y R A C I S .

- Calyx turbinatus quinque-dentatus persistens.  
 Corolla monopetala infundibuliformis : tubus brevis : limbus 5-7-partitus patens, laciniis lanceolatis.  
 Stamina : urceolus, germen cingens, apice partitus in 10-14 filamenta erecta : antheræ oblongæ erectæ.  
 Germen superum, orbiculatum : stylus subulatus staminibus paulo longior : stigma simplex.  
 Fructus drupa subrotunda, nonnihil coriacea, nucem osseam continens striatam, quandoque duas.  
 Obs. *Genus præcedenti affine, a quo differt germine supero atque figura corollæ.*

499. STYRAX OFFICINALE. *Linn.* (Tab. CLXXXVIII. f. 2.)

S. Foliis ovatis integerrimis subtus tomentosis.

S. Officinale *Lin. Sp. pl. vol. 2. p. 301. Hort. Cliff.* 187.

Aliboufier officinal. *Lamarck Dict. vol. 1. pag. 81.*

S. Folio mali cotonei. *Bauh. pin. 452. Tournef.* 598.

Styrax. *Cam. epit. 43. Lob. ico. 151. Duham. arb. 2. p. 290.*

Arbor humilis cortice glabro, ramis tomentosis.

Folia alterna ovata, quorum petioli breves tomentosi, desuper viridia glabra, subtus albicantia tomento molli : stipulæ nullæ.

Flores terminales ramosi, stipulis muniti ad basim pedicellorum.

Calyx tomentoso - albicans subhemisphæricus; dentibus 5-7 brevissimis terminatus.

Corolla alba extus villosa : laciniæ 5-6-7.

Stamina subquatuordecim corollâ breviora : antheræ luteæ, subadnatæ.

Germen villosum sulcis quatuor notatum.

Fructus calyce cinctus, tomentosus : nuclei duo.

*Habitat in Oriente, Italia, Hispania. 5. Floret maio et junio. V. V.*

Expl. fig. *f* Calyx in cuius centro est germen stylo terminatum. *g* Corolla secta ut appareat urceolus staminifer. *h* Filamentum.

Obs. *Ex hac arbore per incisionem gummi-resinosum eruitur odore gratum quod vulnerarium est et cordiale. Lamarck.*

500. STYRAX GLABRUM, *Lamarck.* (Tab. CLXXXVIII. f. 1.)

S. Foliis subovatis glaberrimis denticulatis; floribus axillaribus cernuis.

S. Foliis ovato-lanceolatis, subdentatis: floribus octandris, *Lamarck. Dict. loco citato n<sup>o</sup>. 2.*

Caulis arborescens (in hortis quatuor pedes altus), supra ramosus.

Folia alterna nunc ovata, nunc lato-lanceolata, parce denticulata, glaberrima: petioli breves basi incrassati. Stipulae nullae.

Flores axillares cernui, solitarii aut bini.

Calyx turbinatus, denticuli breves corollae adpressi.

Corolla candida profunde 5-fida laciniis apice recurvis.

Staminum urceolus albus: filamenta decem: antherae luteae.

Germen orbiculatum: stylus staminibus longior.

Fructus (quem non vidi) est, secundum *D. Richard*, drupa sphaerica subcoriacea, calyce cincta, inaequaliter fissilis, foeta nucleo osseo sphaerico substriato, monospermo; aliis seminibus abortivis.

*Habitat in America Septentrionali. Y. V. floridum mense maio in horto D. Williams.*

Obs. In omnibus floribus filamenta vidi decem: *D. de Lamarck* octo reperit.

Explic. fig. a Capitulum. b Calyx fissus. c Flos integer. d Urceolus staminum sectus. e Germen cum stylo.

Nota. Tertiam speciem nomine *Styracis benzoi* descriptam atque figuratam esse dicunt a *D. Dryander* in *Transact. philosoph.* anni 1787.

## P A R S X L I V.

### D E G A L A X I A. *Thunberg.*

#### CHARACTER GENERICUS GALAXIAE.

Calyx: spatha univalvis membranacea uniflora.

Corolla monopetala infundibuliformis: tubus filiformis; limbus patens sexpartitus laciniis ovatis obrusis; quarum tres exteriores ornantur fovea nectarifera. *Thunberg.*

Staminum tubus erectus, stylum vaginans, apice sustinens filamenta tria brevissima: antherae tres ovatae.

Germen inferum obtuse trigonum: stylus filiformis, staminibus paulo longior: stigmata tria multipartita.

Fructus: capsula oblonga, trilocularis, trivalvis: loculis polyspermis. Semina globosa minima.

Obs. I. *Species hucusque cognita sunt plantula bulbosæ minima ex iridum familia, omnesque exoticæ.*

II. *Genus hoc est valde affine duobus sequentibus Ferrariæ et Sisyrinchio, a quibus differt spatha unica uniflora: ab Ixia vero staminibus in tubum coactis.*

501. GALAXIA OVATA. *Thunb.* (Tab. CLXXXIX. f. 2.)

G. Foliis ovatis. *Thunberg. nov. gen. pag. 51. cum ic. Lamarck, Dict. tom. 2. pag. 591.*

Ixia (Galaxia) monadelpha, spatha radicali, foliis ovatis, planis nervosis. *Lin. Supp. 93.*

Radix filiformis descendens affixa bulbo ovato reticulato comoso: bulbuli sæpe plures conglomerati.

Caulis nullus.

Folia radicalia congesta vaginantia ovata obtusa longitudinaliter subvenosa plana glabra, margine subcartilaginea.

Calyx: spatha tenuissima connivens.

Corolla variat coloribus flavo, purpureo, violaceo.

Antheræ flavæ.

Stigmata filiformi-multipartita patentia.

Capsula glabra.

*Habitat in Capite Bona Spei. V. S. communicatam a D. Thunbergio. Floret a mense junio usque ad septemb.*

502. GALAXIA GRAMINEA. *Thunb.* (Tab. CLXXXIX. f. 3.)

G. Foliis lineari-filiformibus, tubo longissimo (addo Cav.) *Thunb. lococitato. Lamarck, ibid. p. 592.*

Ixia fugacissima monadelpha, spatha radicali, foliis subulatis canaliculatis recurvis. *Lin. Sup. 94.*

Radix ut in præcedenti.

Folia radicalia, fasciculata, basi latiora, inde linearia, apice setacea, integra, canaliculata, glabra, pollicaria quamproxime.

Flores radicales inter folia vaginantia, fasciculati sessiles tubo longo capillari, longitudine foliorum.

Corolla flavæ, in varietate vero tubus flavus, limbus violaceus.

Reliqua ut in præcedente.

*Habitat copiose in collibus inter Cap et Tafelberg. V. S. communicatam a D. Thunbergio, qui dixit: A frigore vespertino circa horam quartam fatiscit corolla atque contrahitur, vixque aperit iterum florem, nisi calidis a splendente sole diebus.*

503. GALAXIA OBSCURA. (Tab. CLXXXIX. f. 4.)

G. Foliis subulatis canaliculatis, tubo corollæ brevi.

Planta Sisyrinchio affinis. *Commerson. herb. magellanico.*

Radix bulbosa.

Folia imbricata, subulata, canaliculata, acutissima.



Flores solitarii.

Corolla monopetala sexfida ochroleuca, laciniis obtusis retusis.

Staminum tubus corollâ duplo brevior, filamentis tribus brevissimis terminatus, antheriferis.

Germen inferum subovatum. Stylus vaginatus staminum longitudine.

Fructus deest.

*Habitat hæc plantula vix sesquipollicaris in monte prope portum Galant in freto Magellanico, ubi eam reperit Commerson. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.*

Explic. fig. g Flos integer. f Genitalia.

Obs. *Plantulam hanc ad Galaxiam refero quoadusque denuo examinetur a Botanicis, qui certum genus determinabunt.*

## P A R S X L V.

### D E F E R R A R I A. *Lin.* 1104.

#### C H A R A C T E R G E N E R I C U S F E R R A R I Æ.

Calyx spathæ binæ, alternæ, carinatæ, involutæ: quarum duæ florem unicum continent.

Corolla: petala sex oblonga, alternis brevioribus aut angustioribus.

Staminum tubus erectus corollâ brevior, stylum vaginans: filamenta tria brevissima: antheræ ovatæ.

Germen inferum oblongum subtriquetrum: stylus staminum tubo longior, stigmata tria bifida.

Fructus capsula oblonga, trilocularis, trivalvis; loculis polyspermis. Semina subrotunda.

Obs. *Hoc genus differt a Galaxia et Sisyrinchio inter alia petalis sex alternis inæqualibus.*

504. FERRARIA PAVONIA. *Lin. Supp.* (Tab. CLXXXIX. f. 1.)

F. Petalis planis: interioribus hastatis brevioribus, stigmatibus bipartitis subulatis.

F. Petalis planis, interioribus hastatis; stigmatibus bipartitis filiformibus. *Lamarck Dict. vol. 2. p. 453. n<sup>o</sup>. 2.*

F. Petalis interioribus minoribus hastatis. *Lin. Supp.* 407. et *Mutis Amer. v. 1. tab. 15. ex Linnao.*

Ocoloxochitl; vel flos tygridis. *Hernand. Mexic. p. 276.*

Moræa pavonia scapo tereti; foliis distichis, flore solitario, corollæ laciniis alternis hastatis. *Thunberg. dissert. de Moræa, p. 14 n<sup>o</sup>. 20.*

Tigridis Flos. *Bauh. pin.* 48. *Dod. pemp.* 693. *Lobel. ic.* 111. *J. Bauh.* 2. p. 684. *Rai, hist.* 1165. *Swert. flor. v.* 2. t. 31. f. 2.

Radix bulbosa tunicata inferne fibrosa.

Caulis sesquipedalis flexuosus articulatus teres punctatus.

Folia ensiformia sulcis profundis extus notata; radicalia longa, caulina, alterna vaginantia.

Calyx spatha longa diphylla biflora, aliam spatham pariter diphyllam continens unifloram, ita ut duo aut tres flores sapissime caulem terminent.

Corolla maxima superba, sexpetala petalis basi coalitis: horum tria exteriora ab unguibus ad medietatem usque sunt lutea, inde kermesina: interiora vero hastata, dimidio breviora, lutea, quæ sicut et exteriorum pars lutea sunt maculis kermesinis notata, ad instar pellis tigridis, breviora ulterius paginâ inferiori sunt aucta lamellis triangularibus.

Staminum tubus longus corollâ paulo brevior, rubicundus, stylum vaginans, terminatus apice filamentis tribus brevissimis: antheræ totidem lineares semipollicares fusæ.

Stylus tubo longior: stigmata profunde bifida laciniis subulatis rubris.

Fructus . . . Deest in exemplari.

*Habitat in Mexico et Peru. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu. Observata fuit hæc planta atque delineata in regno Peruano a D. Josepho de Jussieu. Duas icones nondum æri incisas conservat sapius, nec satis laudatus amicus meus A. Laur. de Jussieu, quarum altera est vivis coloribus expressa.*

Explicatio fig. magnitudinis naturalis. *a* Flos expansus. *b* Petalum exterius. *c* Interius maculis orbatum atque spectatum pagina superiori. *d* Idem inferne visus ut lamella conspiciatur.

505. FERRARIA UNDULATA. *Lin.* (Tab. CXC. f. 1.)

F. Petalis margine crispis, æqualibus, interioribus angustioribus: stigmatibus ciliatis.

Ferraria caule multifloro. *Murr. p.* 820. *Jacq. hort. t.* 63. *Lin. Sp. pl. tom.* 4. pag. 43.

F. Petalis margine crispis stigmatibus bifidis cucullatis. *Lamarck, Dict. ubi supra n.* 1.

Flos indicus e violaceo fuscus, radice tuberosa. *Ferr. Cult.* 168. t. 1. 171. *Rai, hist.* 1207.

Gladiolus indicus e violaceo fuscus radice tuberosa. *Moris. hist.* 2. p. 344. sec. 4. t. 4. f. 7.

Narcissus indicus flore saturate purpureo. *Rudb. Elys.* 2. p. 49. t. 9.

Iris stellata, cyclaminis radice pullo flore. *Barrel. ic.* 1216.

F. Foliis nervosis ensiformibus vaginantibus, petalis fimbriatis. *Burm. Act. N. C.* 1761. p. 109. t. 3. f. 1.

Moræa undulata scapo ramosissimo, foliis vaginantibus, carnosis corolla crispa. *Thunb. diss. de Moræa p.* 14. n. 21.

Radix tuberosa solida subrotundo-compressa, fibrillis aliquot crassis.

Caules plures teretes compressi subflexuosi foliosi, supra ramosi, sesquipedales.

Folia amplexicaulia, alterna, disticha, ensiformia, striata, inferiora sesquipedalia, ultima brevia; limbus albicans.

Flores bini in summitatibus: horum alter pro spatha habet duo foliola arcte amplexantia; alter vero propriam habet spatham teneram membranaceam.

Corolla flavescens maculis, punctisque variegata fuliginis, fœtida: cujus petala sex basi coalita sunt æqualis longitudinis, alternatim vero angustiora.

Staminum tubus albicans, punctis fuscis, stylum vaginans, terminatus apice filamentis tribus brevissimis: antheræ ovatæ fuscæ incumbentes.

Germen triquetrum: stylus longitudine tubi: stigmata tria profunde bifida laciniis apice ciliatis.

Fructus ut supra in caractere generico.

Habitat in India Orientali. H. V. V. Colitur in R. H. P. floretque maio.

Obs. Commersonius descripsit ac perfectissime delineandam curavit hanc plantam nomine *Veronia*. Iconem vidi apud D. de Jussieu.

Explic. fig. a Tubus staminum. b Capsula dehiscens. c Semen. d Germen, stylus, stigmata.

## P A R S X L V I.

### D E S I S Y R I N C H I O. *Lin.* 1103.

#### CHARACTER GENERICUS SISYRINCHII.

Calyx communis: spatha diphylla, multiflora, valvulis acuminatis sæpe compressis; acutis: partialis nullus.

Corolla: petala sex oblonga obovata patentia sæpe acuminata.

Staminum tubus erectus stylum vaginans, apice sustinens filamenta tria brevissima: antheræ totidem ovato-oblongæ.

Germen inferum obovatum striatum: stylus longitudine tubi staminiferi: stigmata tria, sæpe reflexa.

Fructus: capsula ovato-trigona, trivalvis, trilocularis: semina plura globosa nigra.

Obs. I. Genus hoc differt a *Galaxia* spatha diphyllâ multiflora: a *Ferraria*, petalis æqualibus et spatha diphylla multiflora.

II. *Sisy. Narcissoides* differt a congeneribus corollâ monopetalâ infundibuliformi.

III. Omnes *Sisyrin.* species sunt exotica, herbacea, ex iridis familia: caulis in quibusdam anceps, in aliis teres.

## SPECIES.

506. SISYRINCHIUM MICRANTHUM. (Tab. CXCI. f. 2.)  
 S. Radice fibrosa : caule ancipiti bipollicari : foliis alternis canaliculatis : floribus minimis.  
 Bermudiana graminea. *Jos. de Jussieu herb. et mss.*  
 Radix fibrosa brevis.  
 Caulis minimus filiformis utrimque alatus, ramosus.  
 Folia ensiformia canaliculata vaginantia, radicalia numerosa, caulina alterna.  
 Flores subtres, pedicellis capillaribus ex centro spathæ terminalis et longæ prodeuntes, minimi.  
 Corollæ petala acuminata vix sesquilinearia.  
 Germen parvum globoso-triquetrum.  
*Habitat in Peru : examinatum ibi a D. Josepho de Jussieu. V. S. unicum exemplar apud ejus nepotem*
507. SISYRINCHIUM ANCEPS. (Tab. CXC. f. 2.)  
 S. Caule simplici ancipite sæpius aphylo : spatha floribus longiore.  
 S. Bermudiana. *Linn. var. æ. Sp. pl. tom. 4. p. 42.*  
 Bermudienne graminée : Sisyrinchium caule simplici alato, spathis inæqualibus flores superantibus. *Lamarck Dict. tom. 1. p. 408.*  
 S. Angustifolium. *Miller. Dict. n.º. 2.*  
 S. Cœruleum parvum, gladiato caule, virginianum. *Pluk. Alm. 348. tab. 61. fig. 1.*  
 Bermudiana graminea, flore minore cœruleo. *Dill. Elth. 49. t. 41. f. 49.*  
 S. Minus. *R. H. P.*  
 Radix fibrosa.  
 Caulis spithamæus filiformis utrimque alatus, ita ut planus et anceps appareat, simplex atque sæpissime aphyllus.  
 Folia radicalia lineari-acuta, basi amplexicaulia : caulina, si dantur, amplexicaulia vaginantia carinata.  
 Flores 3-5 propriis pedicellis sustentati, prodeuntes ex spatha, cujus folia valde inæqualia, alterumque floribus longius.  
 Staminum tubus corolla brevior : antheræ luteæ oblongæ sulcatæ.  
 Corolla : petala sex ovato-oblonga, terminata apice setula : suntque intus cœrulea, extus albicantia, in centro aurantia.  
 Stigmata reflexa.  
 Capsula nigricans : semina valvularum diaphragmati affixa utrimque tria.  
*Habitat in Virginia. Tr. Habui floridum mense julio. Colitur in R. H. P.*  
 Obs. *Hæc species est valde affinis sequenti, verumtamen semper duplo brevior, caulisque fere semper aphyllus, spathæque floribus longiores.*  
 f. Fructus dehiscens.

508. SISYRINCHIUM BERMUDIANUM. *Linn.* ( Tab. CXCV. f. 1. )  
 S. Caule ancipiti ramoso folioso ; spathis subæqualibus flore brevioribus. *Lamar.*  
*Dict. loco cit. n.º. 2.*  
 S. Bermudiana. *Lin. loco cit. Variet. β Mill. Dict. n.º. 1.*  
 Moræa bermudiana : scapo ancipiti, foliis distichis, floribus capitato-umbella-  
 tis, spathis membranaceis? *Thunb. diss. de Moræa, p. 7. n.º. 5.*  
 S. Bermudiense floribus parvis ex cœruleo et aureo mixtis. *Pluk. Alm. 348. t.*  
*61. f. 2.*  
 Bermudiana iridis folio, radice fibrosa. *Tournef. 388. Dill. Elth. 48. tab. 41.*  
*fig. 48.*  
 S. Majus. *R. H. P.*  
 Ex eadem radice fibrosa caules prodeunt numerosi pedales et amplius filiformes  
 utrimque membrana instructi, ramosi foliosi.  
 Folia alterna ensiformia vaginantia, longa.  
 Spatha floribus brevior.  
 Reliqua ut in præcedenti.  
*Habitat in insulis Bermudianis. Fr. Habui floridum mensibus maio, junio et julio.*  
*Colitur in R. H. P.*  
 Explic. fig. a Capitulum floris. b Germen, stylus. B Genitalia aucta. c Anthera  
 valde aucta. d Capsula. e Eadem dehiscens. f. Valvula in qua semina dissepimento  
 sunt affixa. g Semen.

509. SISYRINCHIUM GLANDIFLORUM. ( Tab. CXCV. f. 2. )  
 S. Radice bulbosa ; caule tereti : foliis striatis, floribus magnis.  
 Radix : bulbos tunicatus, fibrillis capillaribus basi coronatus.  
 Caulis simplex teres ( ad instar culmi graminei ) simplex pedalis, nodis distinc-  
 tus, apice floridus.  
 Folia longissima, radicalia fere pedalia, caulina alterna vaginantia ensiformia  
 striata, tres lineas lata, valde acuminata.  
 Spatha terminalis, foliis membranaceis cucullatis, altera alteram basi inclu-  
 dente, subæqualibus acuminatis flore brevioribus, ex cuius centro successive  
 prodeunt tres pluresque flores propriis pedicellis.  
 Corolla sesquipollicaris lutea ( in sicco ) petalis apice rotundatis.  
 Staminum tubus albicans corolla brevior : antheræ oblongæ, stigmatibus lon-  
 giores.  
*Habitat in Peru. V. S.*

510. SISYRINCHIUM COLLINUM.  
 S. Scapo tereti, folio dependente, laciniis corollæ subæqualibus. *Thunberg. diss.*  
*de Moræa, p. 11. n.º. 13.*  
 Radix bulbosa, fibrosa, ovata, striata.  
 Scapus ramosus erectus multiflorus, glaber pedalis.  
 Rami alterni compressi, spathis involuti, glabri, uniflori, bipollicares ex eodem  
 centro circiter tres inæquales.  
 Folium unicum ensiforme, scapo duplo longius, inferne vaginans, integerrimum  
 striatum glabrum concaviusculum dependens.

Flores terminales in ramis solitarii.

Spatha bivalvis, pedunculosa vaginans, lanceolata, longe acuminata concava striata glabra viridis pollicaris; valvulae subaequales.

Corolla exapetala erecta: lacinae oblongae obtusae subaequales patentes, carnea vel flavae, extus linea nigra; inferne crassiores basi connatae incarnatae vel viridi-flavescentes, angustatae: tribus exterioribus basi fovea nectarifera.

Filamenta tria, tota connata in cylindrum, corolla dimidio breviora: antherae lineares emarginatae, intus planae, extus trisulcae, flavae, dente utrimque unico.

Germen inferum ovatum trisulcum glabrum: stylus trigonus trisulcatus, staminibus paulo longior, superne incrassatus flavescentis: stigmata tria trigona subclavata, cucullato bilabiata: labio exteriori truncato emarginato: interiore bipartito laciniis acutis, brevibus inflexis.

Capsula oblonga trisulcata, sensim crassior, glabra, trivalvis, trilocularis, pollicaris.

*Habitat prope Cap. B. Spei extra urbem copiosissime et alibi vulgaris: floret junio et sequentibus mensibus: variat flore flavo et aurantiaco.*

*Obs. Supra dictam descriptionem transtuli ex citato opere. Planta est certe monodelpha in qua reperiuntur characteres aliqui Galaxiae, Ferrariae et Sisyrinchii; quoniam vero spatha gaudet diphylla, atque petalis subaequalibus, ad hoc genus eam revoco, quamquam inter dubias species e quorum numero sunt sequentes.*

511. SISYRINCHIUM NARCISSOIDES. (Tab. CXCI. f. 3.)

S. Caule tereti, radice fibrosa, foliorum vaginis inflatis, corollis infundibuliformibus nutantibus.

*Sisyrinchium? Comm. herb.*

Radix fibrosa, fibris latiusculis capillatis.

Caulis simplex teres pedalis, terminatus spatha diphylla multiflora.

Folia longissima angusta acutissima, caulem alternando vaginantia, vagina burisiformi.

Spathae foliola striata alterum alium basi includens, ambo acuta florumque pedicellis breviora.

Flores 3-5 nutantes.

Corolla alba monopetala infundibuliformis: tubus longus subrubens, sensim dilatatus; limbo sexfido, laciniis lanceolatis apice setosis.

Staminum tubus, stylum vaginans, apice terminatus, filamentis tribus brevissimis: antherae ovatae luteae.

Germen inferum ovoideum sextriatum: (Stylos tres setaceos dixit *Commer-sonius.*)

*Habitat in freto Magellanico. Observatum a Commers. V. S. communicatum a D. de Jussieu.*

*Obs. Datur varietas egregia floribus intus et extus purpura intensa longitudinaliter striatis. Comm.*

512. SISYRINCHIUM PALMIFOLIUM. *Lin.* (Tab. CXCI. f. 1.)  
 S. Radice bulbosa; foliis radicalibus petiolatis nervosis ensiformibus.  
 Bermudiana palmæ folio, radice bulbosa. *Plum. mss.* 3. t. 136. *Tournef.* 388.  
*Burm. Americ. p.* 35. *tab.* 46. *f.* 2.  
 S. Foliis ensiformibus nervosis. *Lin. Sp. pl. loc. cit. n°.* 3.  
 Bermudienne nerveuse. *Lamarck. Dict. loco cit. n°.* 3.  
 Radix est bulbosus prolifer ex tuniceis plurimis compositus intus candidis, ex quo  
 prodeunt caules teretes, glabri, enodi nudi, sesquipedales, in cuius summi-  
 tate reperitur spatha universalis ex duobus foliis composita, sæpe inæqualibus,  
 ex qua tamquam ex vagina ramī prodeunt floriferi.  
 Folia radicalia, plura sesquipedalia, sesquipollicem lata, utrimque acuminata,  
 rigida, nervis 5-6-7 ornata, petiolo innixa inæqualis longitudinis at ipsis  
 multo breviora.  
 Flores in summitatibus ramulorum numerosi, parvi, glumis membranaceis  
 lanceolatis fasciculatis distincti.  
 Corolla alba (liliaceam et pentapetalam dixit Plumierius!) Stamina incerta  
 dixit cl. auctor, nunc 4, nunc 5: at ego in floribus examine tria vidi lineam lon-  
 ga, basi supra germen coalita: anthera oblonga adnata, flavæ.  
 Germen certe inferum subtriangulare parvum basi acutum.  
 Stylus. . . Stigmata. . . Fructus. . . nihil de his Plumierius.  
*Habitat in insula Sancti-Dominici. V. S. apud D. de Jussieu.*  
 Obs. Cum dubio, ut dixi, ad *Sisyrrinchium* reduco plantam, de cuius fructifica-  
 tione licet adhuc dubitari: illam descripsi atque depinxi, potius ut innotescat  
 quid restet viatoribus botanicis inquirendum, quam ut certi quidquam prodam.  
 Potuit certe Plumierius inter stamina stigmata quoque numerare, qui ulterius  
 dixit omnes fere flosculos abortivos esse.

Explic. fig. a Summitas ramuli floridi. b Genitalia aucta.

FINIS VI DISSERTATIONIS.

## M A N T I S S A I I I.

715. SIDA PYRAMIDATA. (Tab. CXCIV. f. 1.)

Explic. fig. *A* Calyx, *B* Genitalia, *C* Fructus intra calycem, *D* Idem extra calycem, *E* Capsula.

39. SIDA ROTUNDIFOLIA. (Tab. CXCIV. f. 2.)

Explic. fig. *F* Fructus, *G* Capsula, *S* Semen. Addatur: *Tota planta tomentosa.*

56. SIDA STELLATA. Variat capsulis 5-6-7.

63. SIDA TERMINALIS. (Tab. CXCIV. fig. 2.)

Explic. fig. *A* Fructus, *B* Capsula cum seminibus, *C* Semen.

79. SIDA REFLEXA. (Tab. CXCIV. f. 1.)

Explic. fig. *aa* Flores, *b* Capitulum ante expansionem, *c* Calyx, *d* Genitalia.

513. SIDA FÆTIDA. (Tab. CXCVI. f. 1.)

*S.* Caule erecto atro-purpureo: foliis ovatis, cordatis, serratis, fætidis.

*Planta valde fætida.*

Caules erecti teretes atro-purpurei, ramis erectis alternis subpubescentibus, sesquipedales.

Folia alterna, petiolis subæqualia, ab hisque sæpissime dependentia, crassiuscula tactuque mollia, cordata lobis inferioribus se regentibus, ovato-acuminata, serrato-dentata. Stipulæ subulatae, deciduæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis petiolo brevioribus, pilis aliquot quemadmodum et in petiolis.

Calyx ovato-globosus semiquinquefidus, parvus.

Corolla lutea petalis orbiculatis.

Staminum tubus brevis, apice coronatus filamentis brevissimis: antheræ reniformes (omnia lutea.)

Germen globosum 7-8 striatum: styli tot quot striæ, virides, recurvi: stigmata globosa.

Fructus figura germinis ex tot capsulis compositus quot fuerunt styli: istæ sunt monospermae. Semina reniformia.

*Habitat in regno Peruano prope Limam. V. V. in R. H. P. mense augusto.*

*Obs. Ad S. crispam accedit habitu, at fætor faciesque tetra a congeneribus eam*



*distinguit; quam reputo eandem cum illa de qua sermonem feci in prima dissertatione pagina 31 ad calcem Sida crispa.*

Explic. fig. *a* Germen. *b* Idem auctum. *c* Tubus staminifer. *d* Idem auctus. *e* Petalum. *f* Fructus. *g* Capsula. *h* Semen.

514. SIDA OVATA. (Tab. CXCVI. f. 2.)

S. Caule prostrato ramoso: foliis ovatis cordatis crenatis: floribus axillaribus solitariis pedunculatis.

Caules filiformes rubescentes prostrati, ramosi subtomentosi pedales et amplius.

Folia alterna petiolis breviora, cordato-ovata, crenata, utrimque viridia, fere glabra. Stipulae subulatae parvae patentes.

Flores solitarii axillares longitudine fere petiolorum.

Calyx turbinato-pentagonus, laciniis acuminato setosis.

Corolla parva patens lutea, petalis emarginatis.

Styli quinque totidemque capsulae monospermae.

*Habitat in Insula Sancti-Dominici. V. floridam in R. H. P. mense julio.*

Obs. *Hac planta est eadem cum illa de qua verba feci in prima dissertatione n<sup>o</sup>. 10. ad calcem Sida pilosae, a qua diversa videtur: etenim tota est fere glabra, foliaque habet magis accedentia ad formam orbicularem.*

190. PAVONIA TYPHALAEA. (Tab. CXCVII.)

Obs. *Plantam reperi in herbario D. de Jussieu, atque figuram inter nonnullas quae sine ordine existunt ad calcem tertii voluminis mss. Plumieri, ex quibus et iconem meam et descriptionem erui.*

Caules teretes ramosi tomentosi.

Folia utrimque acuminata, serrata, semipedem longa, uninervia, inferne glauca, desuper viridia, petiolis tomentosis multoties longiora, atque utraque pagina punctata, quorum puncta sunt pili stellati minimi. Stipulae lanceolatae.

Flores terminales capitati, stipulis stipati.

Ambo calyces semiquinquefidi persistentes.

Corolla lutea, calyce paulo major.

Staminum tubus petalis brevior, apice terminatus filamentis brevissimis: antherae reniformes.

Germen globosum: stylus simplex apice octofidus stigmatibus nigricantibus in sicco. (Linnæus dixit stigmata decem.)

Fructus: capsulae quinque in globum adproximatae, unaquaque terminata aristis tribus conniventibus hamatis.

Semen unicum.

*Habitat in Insula Sancti-Dominici, ubi reperit D. Desportes.*

Expl. fig. *a* Calyx exterior. *b* Interior. *c* Genitalia. *d* Germen, stylus, stigmata; aucta. *e* Stamina aucta. *f* Corolla expansa. *g* Fructus intra calyces. *h* Idem extra ipsos. *i* Capsula. *k* Semen.

Obs. *Conserventur synonyma adducta in tertia dissertatione n<sup>o</sup>. 190, atque*

addatur quod reperi in herbario D. Desportes. Anonymos floribus conglobatis semine hordaceo.

## 199. PAVONIA PRÆMORSA.

Exemplar siccum accepi a D. Jacquino, quod idem omnino est cum Pav. cuneifolia: quare numeri 198 et 199 eandem speciem sistunt.

515. PAVONIA LEPTOCARPA. *Lin. Supp. inter Urenas.*

P. Foliis lanceolatis serratis, calycibus pentaphyllis.

Urena foliis lanceolatis serratis. *Linn. Supp. p. 308.*

Frutex decempedalis, ramis teretibus.

Folia alterna petiolata remota lanceolata serrata.

Flores terminales glomerati sessiles capitati.

Calyx exterior foliolis quinque lanceolatis: interior minor foliolis totidem.

Corolla magnitudine vix ranunculi acris: cujus petala oblonga calyce duplo longiora.

Stamina monadelphica petalis non longiora.

Germen subrotundum: styli quinque: stigmata simplicia.

Capsula subrotunda æqualis, superne cincta mucronibus quindecim, quinquelocularis vel discedens quinque partibus. Semina oblonga solitaria.

*Habitat in Surinamo. C. G. Dahlberg. H.*

*Hæc Linnaeus in Supplemento loco citato, ubi dixit hanc plantam mediam esse inter Urenas et Hibiscos, re tamen vera nihil ipsi cum Hibisco commune. Ipsius genus est determinatu difficile, quamquam ad Urenam et Pavoniam accedat; ex fructu vero, Pavonia malo quam Urenam adnumerare: in Urena enim capsula numquam sunt mucronata sed echinata, aristæque in singulis capsulis numerosa, numquam definita ut in Pavonia speciebus spinosis quarum capsula tribus spinis instruuntur. Consulantur characteres utriusque generis.*

## 250. HIBISCUS ESCULENTUS.

In herbario D. Vaillant exstat planta huic affinis, quæ ab ipso describitur: *Ketmia Ægyptia vitis folio, parvo flore.* Additque synonyma: *Alcea indica parvo flore.* C. B. Pinax. *Alcea Ægyptia.* Clus. hist. 27.

Folia sunt dentata atque profunde partita in 3-5 lobos.

Caulis herbaceus.

Calyces decidui: exterior ex pluribus foliolis lanceolatis villosociliatis; interior tubulosus apice quinque-dentatus.

Capsula pyramidata hispida sesquipollicaris: loculamentis polyspermis 6-7. Semina subglobosa nigra.

## 252. HIBISCUS SABDARIFA. (Tab. CXCVIII. f. 1.)

Flores subsessiles.

Calyx exterior monophyllus crassus basi turbinato-hemisphæricus, terminatus laciniis sub-12 crassis rubris subulato-triquetris: interior major, semiquinque-

fidus, luteus, laciniarum limbo et costa purpureis: fructifer saturate ruber; auctus.

Corolla calyce duplo major, campanulato-patens, petalis dilute flavis, tinctisque colore roseo dilutissimo: horum unguis macula ornantur rubra.

Staminum tubus brevis purpureus, parce filamentosus: antheræ flavæ parvæ.

Germen ovatum: stylus simplex: stigmata quinque globosa saturate purpurea; et subtomentosa.

Fructus calyce interiori tectus, estque capsula ovata 5-locularis, loculis polyspermis.

Floruit in R. H. P. mense julio. V. V.

Obs. Folia sunt uniglandulosa.

516. HIBISCUS MILITARIS. (Tab. CXCVIII. f. 2.)

H. Foliis serratis hastatis acutissimis, floribus magnis pulcherrimis: petalis bifidis.

*Tota planta glaberrima.*

Caules teretes glabri tripedales, simplicissimi.

Folia alterna distantia subcordata hastata, lobo medio longissimo, acutissimo, serrata, petiolis paulo longiora. Stipulæ subulatæ longæ arcuato-erectæ deciduæ.

Flores axillares et terminales pedunculis crassis, petiolo erectis, subæqualibus. Calyx exterior ex 12-16 foliolis longis linearibus acutis, angustis: interior paulo major semiquinquefidus laciniis quinquenervis.

Corolla magna campanulato-patens extus purpurea, fundo saturatior, limbo albicante: cujus quinque petala sunt bifida præmorsa, venisque purpureis protuberantibus ornata.

Staminum tubus albicans corolla brevior: antheræ reniformes rubescentes.

Germen ovatum: stylus simplex filiformis, tubo longior, apice exerto quinquefido, laciniis revolutis: stigmata globoso-compressa villosa, dilute rosea.

Fructus.

Habitat in Ludoviciana. H. Habui floridum ultimo augusto.

Obs. Collocari debet hæc species post hib. pentacarp. cui affinis n<sup>o</sup>. 205.

400. GERANIUM PILOSUM. (Tab. CIC.)

417. STERCULIA PLATANIFOLIA.

Flores paniculati, paniculis terminalibus maximis ramosis aphyllis: in ramulorum extremitatibus flores turmatim, breviter pedunculati, qui ante expansionem sunt globulosi, tomentoque brevi rufescentes.

Calyx oblongus profundissime partitus in quinque lacinias lanceolatas versus pedunculum revolutas, trium linearum longas, semilineam latas: prope basin internam cavam saturate kermesinas, dehinc glauco rubentes.

Ex harum centro albo, stipes assurgit longitudine calycis, versus apicem roseus, atque coronatur globulo genitalium, in quo existunt antheræ 15 oblongæ striatæ luteæ sessiles ad partem anteriorem et terminalem stipitis.

Flores sunt perfecti, aut imperfecti : in illis ex antherarum centro et stipitis apice germen adsurgit cōnicum quinquesulcatum roseum, cujus stylus simplex sensim angustatur, atque apice recurvo terminatur stigmatibus quinque globulosis minimis.

Imperfecti vero intra antherarum globulum germen effœtum fovent minimum quinquesulcatum.

*Floruit hæc arbor julio et augusto in R. H. P. Fructum nullum dedit.*

Obs. *Tempore siccissimo flores imperfectos protulit, qui primo obtutu mares videbantur : pluit deinde copiosissime initio augusti, atque flores perfectos hermaphroditos omnes dedit. Quare fieri potest arborem hermaphroditam esse, atque humiditatis defectui tribuendum, si flores imperfectos initio protulit, in quibus germen exsiccabatur antequam debitam magnitudinem attingeret.*

Explic. tabulæ 145 in qua summitas arboris representatur magnitudine naturali multoties minor. *a* Flos imperfectus. *b* Perfectus magnitudine naturali. *c* Semen. *d* Germen auctum. *e* Genitalia aucta. *f* Anthera multoties aucta.

517. STERCULIA CARTHAGINENSIS.

S. Foliis semiquinque lobis, floribus dodecandris.

Helicteres apetalâ foliis semiquinquelobis floribus decandris apetalis. *Jacq. Amer. p. 238.*

Arbor elegans quadraginta pedes alta.

Folia semiquinqueloba, lobis ovato-subrotundis, acutis, integerrimis, facie glabra, dorso subvillosa, plusquam pedalia, numerosa : petioli teretes novem-pollicares.

Flores fœtidissimi paniculati, paniculis laxis magnis numerosis terminantibus ramulos.

Calyx sordide flavescens cum maculis purpureis, monophyllus campanulatus, amplissimus, patens, semiquinquefidus, laciniis ovato-acutis, semireflexis extus villosis.

Stamina : filamenta circiter quatuordecim subulata brevissima ad basim germinis receptaculo inserta : antheræ subrotundæ didymæ.

Germen subrotundum quinquesulcatum, insidens receptaculo filiformi recurvo, calyce fere duplo breviori : stylus subulatus reflexus longitudine germinis : stigma capitatum obsolete quinquefidum.

*Habitat in Carthagenæ sylvis, Camajon duro, vulgo dicta. H. Floret mensibus maio et junio.*

*Planta mihi ignota, ex descriptione tamen a Jacquino tradita ad sterculiam referenda videtur.*

432. BOMBAX GLOBOSUM.

Folia sunt glaberrima sæpe septenata, foliolis inæqualibus media longiore, inferioribus brevioribus. Gossypium rufescit. Calyx persistens cyathiformis coriaceus apice quinquecrenatus : flores fasciculati pedunculis crassis, duarum linearum longis.

518. *Gossypium eglandulosum*.

G. Caule villosa: foliis quinquelobis eglandulosis: lobis tribus oblongis acuminatis.

Hæc planta, quæ initio septembris florebat in Reg. Hortu Parisiensi, valde affinis est *Gossypio hirsuto* n<sup>o</sup>. 448, a quo differt defectu glandularum, quæ nullæ sunt in foliorum nervis quemadmodum et in calycibus: horum exterior est magnus, segmentis profunde cordatis, apice tri-quinquedentatis: corolla est flava calyce paulo longior, petalis quinque in campanulam convolutis, basi maculatis.

Stigmata tria.

Hæc ergo species poterit fortasse esse eadem cum *Goss. herbaceo* Linnæi, cui folia sunt quinqueloba, subtus eglandulosa.

## ERRATA.

Pag. 310, n<sup>o</sup>. 444, glandulosis, lege eglandulosis.

Pag. 311, n<sup>o</sup>. 445, MIERANTUM, lege MICRANTHUM.

Pag. 322, lin. 11, acuræ, lege acutæ.

Pag. 326, n<sup>o</sup>. 471, involucrum-fidum, lege involucrum trifidum.

Pag. 335, n<sup>o</sup>. 490, filiorum, lege foliorum.

Pag. 344, n<sup>o</sup>. 513, tubulatæ, lege subulatæ.

---

EXTRAIT des Registres de l'Académie Royale des Sciences, du 3  
septembre 1788.

NOUS avons examiné, par ordre de l'Académie, une sixième dissertation latine et botanique de M. l'Abbé CAVANILLES sur quatorze genres de plantes qui ont tous le caractère commun de la réunion des filets, des étamines, et font conséquemment partie de la Monadelphie de Linné.

Dans ce nombre quatre servent à compléter la famille des Malvacées, dont M. Cavanilles a examiné tous les autres genres dans ses précédentes dissertations; quatre autres tiennent le milieu entre les Malvacées et les Tilleuls; deux appartiennent à l'ordre des Plaqueminiers, un à celui des Câpriens; et trois, bien différents des précédents, constituent une section particulière dans l'ordre des Iridées.

Les quatre genres de l'ordre des Malvacées sont le *Gossypium* ou Coton, le *Waltheria*, le *Malochia* et l'*Urena*; l'auteur met dans leur description et leur examen le même soin que dans ses observations précédentes, et il rapporte sous ces genres trente espèces, dont onze sont nouvelles, ou n'étoient pas encore connues des Botanistes.

Les quatre suivants, voisins des Tilleuls, sont le *Camelia*, le *Gordonia*, le *Mehernia* et l'*Hermannia*, quatre espèces appartenant aux deux premiers genres, et qui étoient déjà connues; mais sur vingt-trois espèces rapportées aux deux seconds et mentionnées dans cette dissertation, six sont nouvelles, et quelques autres, connues imparfaitement, sont maintenant fixées.

Cinq espèces déjà connues composent les genres de l'*Halesia* et du *Styrax*, tirés de l'ordre des Plaqueminiers, et celui du *Morisonia*, voisin des Câpriens. L'auteur a examiné avec soin leurs caractères, sur-tout ceux des deux premiers. Trois genres de l'ordre des Iridées, qui terminent cette série, comprennent douze espèces, dont quatre nouvelles. Ces genres sont le *Galaxia*, le *Ferraria* et le *Sisyrinchium*; ce dernier sur-tout est examiné d'une manière très-détaillée, et offre trois espèces inconnues.

Toutes ces plantes, au nombre de soixante et quatorze, sont pour la plupart dessinées par l'auteur et gravées dans trente-cinq planches, exécutées comme celles des dissertations précédentes. L'auteur termine ce travail par un supplément à ses premiers ouvrages, contenant quelques nouvelles espèces des genres précédemment décrits; savoir, deux *Sida*, un *Pavonia* et un *Hibiscus*. Il y joint des descriptions ou des figures plus exactes de onze autres espèces de différents genres, qu'il a eu occasion de mieux connoître; et les plantes de ce supplément composent six nouvelles planches, qui portent à quarante-un le nombre compris dans cette dissertation.

Ce nouveau travail nous fait desirer que l'auteur continue à s'occuper suc-

cessivement de l'examen de diverses familles de plantes; et nous pensons que sa dissertation mérite, au même titre que les précédentes, d'être approuvée par l'Académie et imprimée sous son privilège.

Au Louvre, le 3 septembre 1788. Signés, DE JUSSIEU, DE LAMARCK.

Je certifie le présent Extrait conforme à l'original et au jugement de l'Académie. A Paris, ce 17 septembre 1788.

Signé, le Marquis DE CONDORCET.





Fig. 1.

Fig. 2.



PLANTAE FLORIDAE




































PLANTAE INDICAE



GOSSYPIUM PERUVIANUM

Tab. CLXVIII.




A. J. Canavilles del.

Sollier sculp.



GEORGE ENGELMANN  
HERBARIUM





Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.





Fig. 1.

Fig. 2.






Fig. 1.

Fig. 2.












Fig. 1.

Fig. 2.

PLANTAE RORIPAE. S. M. M. (S. M. M. RORIPAE). 1777.










Fig. 1.

Fig. 2.






Fig. 1.

Fig. 2.













THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARY






















W. K. L. & CO. CHICAGO



A. J. Cavanilles delin.

Sellier sculp












Fig. 1.

Fig. 2.


F


a b c d e f

g h


1771

PLANTAE INDIANA




















Fig. 1.

Fig. 2.

GALAXIA ovata.

Fig. 3.

GALAXIA graminea.

Fig. 4.

GALAXIA obscura.

Sellier sculp.





PLATE I. THE INTERIOR OF THE GREAT CHAMBER, TEMPLE OF AMUN, KARNAK, THEBES, EGYPT.





PLANTING IN THE WINDING  
THE HISTORY OF THE WINDING







PLANTAE INDICAE. 2. SYLVA DIAPHYLLI. H. 1811.





A. J. Cavailles del.

Sellier sculp.














Fig. 1.

Fig. 2.







Fig. 1.

Fig. 2.

A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.









*Fig. 1.*

*Fig. 2.*



GERANIUM PILOSUM.

Tab. CXCIX.



A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.








Fig. 1.



Fig. 2.



